Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Theologica De Stvdio Gloriae Fidei Impedimento Ad Iohann. Cap. V. Comm. XLVI.

VVittembergae: Litteris Gaebertianis, [1728?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0001
DFG


38

Fa- 1092. (38.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0002
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0003
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0004
DFG

B. C. D.

DISSERTATIO THEOLOGICA DE STVDIO GLORIAE FIDEI IMPEDIMENTO AD IOHANN. CAP. V. COMM. XLIV.

QVAM

PRAESIDE

IO. GEORGIO IOCHIO
THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.
SENATVS ECCLESIASTICI ADSESSORE ET
TEMPLI OO. SS. PRAEPOSITO

PRO CANDIDATVRA IN THEOLOGIA

IN AVDITORIO MAIORI

AD D. XXVII. SEPT. MDCCXXVIII.

PROPVGNABIT

M. IO. FRIDER. KELLNER
ISNACO-THVRINGVS.

VVITTEMBERGAE, LITTERIS GAEBERTIANIS.

329.
16.
25.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0005
DFG

I. N. I.

DE

STVDIO GLORIAE FIDEI IMPEDIMENTO

AD

IOH. V. COMM. XLIV.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

§. I.



A mortalium est indoles, is animus, vt, natura duce, omni cura omnique cogitatione in id incumbant, vt bene ipsis sit, et, vt ex voto semper viuant. Ex vero hinc scribit CICERO lib. IV. Tuscul. quaest. *Natura omnes ea, quae bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul obiecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura.* Quantopere autem hac in re et semetipsos interdum decipiant miseri, et ab

aliis etiam decipiantur, id equidem in aprico positum est, nullaque prorsus indiget demonstratione. Nihil profecto frequentius sub sole contingit, quam vt vmbram pro corpore, hoc est, bonum adparens pro bono vero, sectentur terrae filii, sibique, nescio quam, felicitatem imaginentur, si id consecuti sunt, quod omnibus votis expetierunt, cum tamen vmbratica, bracteata et inconstans ea sit, immo pro impedimento potius, quam pro adiumento verae felicitatis haberi debeat.

§. II. Varium autem et multiplex cum sit bonum adparens, ad tres tamen potissimum classes ea omnia, quae hominem mouent, et in quibus bene sibi esse credit, reuocari poterunt. Quaedam enim decora seu honorifica, hoc est, ἐξοχὴν quandam prae aliis adferentia, nobis videntur, quaedam vtilia, quaedam autem delectantia. Luculenta sunt IOHANNIS verba, quibus idem confirmat 1. epist. II, 16. Πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ, ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου. Vbi, quin generatim omnia bona adparentia complectatur, dubium non est; siquidem conceptis verbis dicit: Πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ. Quemadmodum et illud extra controuersiam positum est, quod per ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς *voluptatis cupiditatem*, et per ἀλαζονείαν τοῦ βίου *ambitionem* intelligat. *Auaritiam* denique per ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν alibi etiam in sacris litteris describi, nemini ignotum esse potest. Euoluantur KOHEL. IV, 8. PROVERB. XXVII, 20. *Ad concupiscentias carnis*, ait AVGVSTINVS lib. III. de symb. cap. I. *pertinent illecebrae*

cebrae

cebrae voluptatum ; ad concupiscentiam oculorum, nugacitas spectaculorum ; ad ambitionem saeculi, insania superbiae.

§. III. Voluptati qui dediti sunt, vel gulae, vel veneri litant, vel alias sectantur delicias. Mores eiusmodi hominum pereleganter exprimit DIO CHRYSOSTOMVS serm. IV. de regno. p. 91. *Alter vir, et illius viri genius voluptatis sacra colit, et illam deam admiratur, et singulari cura illam muliebrem deam veneratur, varius et multiplex : odoribus et gustatu, visu denique et auditu aliquo iucundo, contactu suaui et molli inexplebilis, lauationibus quotidianis, saepe etiam vno die geminis, et vnctionibus, non vt morbo alicui medeatur, dat operam.* Magis ad genium saeculi nostri suam voluptatis descriptionem accommodauit IO. CONRAD. DANNHAVVERVS in colleg. decalog. p. 946. *Concupiscentia carnis* inquit, *est gulositas et luxuria, cuius obiecta sunt, vinum, cibus delicatus, mulier, res venereae.* Carnis autem concupiscentia dicitur, *quia hanc titillat et irritat, et ab hac tenetur ac possidetur*, vilis, *vtpote bestiis communis :* exigua, *vtpote cito consumpta :* sordida, *vtpote in sputa desinens, in stercora, vomitus, vomicas, putredines, febres, dysenterias, morbos alios.* Beatitudinem in istiusmodi obiectis quaerere homines voluptati litantes, quis nescit? *Venter* enim *ipsorum Deus est*, PHIL. III, 19. hoc est, δουλεύουσι τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ, *inseruiunt ventri suo*, ROM. XVI, 18. Quaerit CHRYSOSTOMVS ad locum Pauli priorem : *Quid voluptuosis est Deus?* Et respondet : *Hoc : comedamus et bibamus. Seruiunt* enim *ventri tanquam Deo, et omnem curam adhibent*, inquit THEOPHYLACTVS. *Quidquid faciunt, pro ventre faciunt, quasi ipsum ventrem colentes. Hoc enim ab homine colitur, quod caete-*

ris plus diligitur, verba sunt PETR. LOMBARDI. Adposite SALOM. GLASSIVS philol. sacr. lib. v. tract. I. cap. x. p. 1661. *quorum*, ait, *summum bonum, et omnis desiderii prora atque puppis est, voluptas carnis et prospera fortuna in hoc saeculo, citra persecutiones, ob confessionem Christi perferendas.* DEVS *id vnicuique est, quod summo habet in pretio, et prae quo verum* DEVM *negligit.* Addatur II. TIM. III, 4. vbi φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, *voluptatum amantes potius, quam amantes* DEI, ab Apostolo vocantur. Adclamant ideo sibi inuicem: Δεῦτε ἀπολαύσωμεν τῶν ὄντων ἀγαθῶν, καὶ χρησώμεθα τῇ κτίσει ὡς νεότητι σπουδαίως. *Agite, fruamur praesentibus bonis, et possessione hac, tanquam in iuuentute, vtamur studiose, etc.* SAP. II, 6. sqq.

§. IV. Quod autem in hisce rebus nemini bene sit, nullaque constans et perennis felicitas in iisdem reperiatur, vel ex earum vanitate, inconstantia et breuitate, cuilibet ad oculum patere potest. Tacemus innumera mala et incommoda, quae secum vehunt, quaeque sentiunt et experiuntur omnes, quotquot illis indulgent. PETRVS Apostolus hinc voluptatem nominat φθορὰν ἐν ἐπιθυμίᾳ. II. EPIST. I, 4. Qua ipsa voce et duratio concupiscentiae denegatur, et eidem eiusmodi labes tribuitur, qua, quod malum et corruptum est, multo redditur deterius ac corruptius, quemadmodum rectissime obseruat vener. IOACH. LANGIVS in exegesi h. l. *Sane*, ait, *nulla voluptas vana diu est constans, sed ordinarie eo est inconstantior seu breuior, quo est maior ac fortior. Etenim quia homo per voluptatem extra orbitam, diuinitus ordinatam, abit, et extra centrum*

ac

ac elementum animae immortali conueniens, vagatur, haec illa satiari nequit, sed illius fastidio facile capitur, ita, vt ad hoc auertendum, aut leuandum, varia voluptatum genera excogitare, saltem subinde nouos sese oblectandi actus et modos, prioribus quasi amarescentibus, quaerere soleat. Verissima haec esse, siue ad corpus respiciamus, siue ad animum, docet IDEM, quando hunc in modum pergit: *Et corpus quidem per ipsam ἐπιθυμίαν factum est φθαρτὸν, corruptibile ac mortale, et haec eius corruptio augetur per eandem. Omnis enim praua cupiditas dominans corpus eneruat, ac valetudinem imminuit ac destruit. Nec minor est ψυχοφθορία, siquidem animus immortalis, quo magis prauis cupiditatibus immergitur, eo magis obbrutescit seu corrumpitur, donec callum obducat, spretaque omni emendatione, aeternum pereat.* Conf. EPH. IV, 22. Similiter IOHANNES I. EP. II, 17. ὁ κόσμος, inquit, παράγεται καὶ ἡ ἐπιθυμία αὐτοῦ. Verbo παράγεται in genere significantur ea, quaecunque mundo, ratione instabilitatis et inconstantiae suae, accidunt. Cumque interitus concupiscentiae alius sit obiectiuus, alius subiectiuus, quorum vnus non fit sine altero, vtrumque hic intelligi debere putamus. Add. LVC. XII, 19. 20. et cap. XV, 12. 14. 15.

§. V. Auaritiam qui amant, cupiditate bonorum quorumuis terrestrium, inprimis autem pecuniae, vtpote per quam reliqua facili negotio comparantur, ferri solent. Hinc DIO CHRYSOSTOMVS l. c. p. 86. amatorem diuitiarum nominat *genium auri, argenti, terrae, pecorum et omnium possessionum cupidissimum.* Et IO. CONR. DANNHAVVERVS l. c. *Concupiscentia*, inquit, *oculorum est auaritia, eius obiectum sunt aurum, argentum, gemmae, praedia*

dia, opes, res curiosae et pretiosae. Immo vero quidquid sub vtilitatis specie homini blanditur, vt eodem ad sui conseruationem sibi opus esse existimet, id omne hominis auari animum ad se attrahit, allicitque, non, vt illud per luxuriam seu concupiscentiae carnis expletionem consumat, sed, vt oculis possit subiicere, eiusque adspectu cor pascere et oblectare. Qua de re conf. PROV. XXVII, 20. Haec causa est, propter quam auaritia *concupiscentia oculorum* dicitur. Etenim summa auaris est delectatio in contemplatione domorum, agrorum, hortorum, praediorum, nemorum, librariae supellectilis, et inprimis pecuniarum, si aliquis harum aceruus adsit. Sed harum rerum adspectu auari concupiscentia haud raro ita fruitur, vt ille ne quidem audeat inde cuticulam suam curare, seu aliquid ad concupiscentiam carnis conuertere. Potius defraudat genium suum, metuens, ne quid oculorum oblectamento sic decedat. Nihilominus *auro puro dicit: O fiducia mea?* IOB. XXXI, 24. phrasi admodum emphatica, firmum animi propositum significante, quo homo sibi aliquid proponit, eum in finem, vt illi confidat, et spem suam in eodem reponat.

§. VI. Quam stulte autem et quam praepostere agat auarus, cum rebus tam inconstantibus tamque cito perituris se vnire, hoc est, eas possidere, tenere et custodire cupiens, res ipsa satis superque nos condocet. Auarus curis mordacibus semetipsum consumit, suoque moerore, quem ex hac atque illa iactura capit, fit quasi ἑαυτόβρωτος, seu ἑαυτοφθόρος. Et quam varii quaeso! casus humani hanc ἐπιθυμίας φθορὰν inducere

cere solent? Bella, incendia, furta, depraedationes, inundationes, terrae motus et huiusmodi generis alia innumera breui temporis spatio, omnia, quae possidemus, nobis eripere possunt. Vnde etiam CICERO opes et diuitias *fortunae ludibria* dixit, sola virtute pro bono immobili reputata. Quod vero aduersi casus non auferunt, mox auferre solet ipsum tempus, quo nihil citius fugit et perit. Priusquam saepe auarus putat, audire tenetur illud LVC. XII, 20. *Demens, hac nocte animam tuam repetent a te. Quae autem parasti, cui cedent?* Itemque illud Iacobi CAP. V, 2. 3. *Diuitiae vestrae putrefactae sunt, et vestimenta vestra a tineis erosa sunt. Aurum et argentum vestrum aerugine vitiatum est, et aerugo illorum testabitur aduersus vos, et exedet carnes vestras, velut ignis: thesauros congessistis in vltimos dies.* Satis igitur caussae habuit Paulus, cur Timotheo suo iniunxerit I. EPIST. VI, 17. vt iis, *qui diuites sunt, in hoc saeculo, denuntiet, ne efferantur animo, neque spem ponant in diuitiis incertis*, (quae facile perdi aut amitti possunt) *sed in* DEO *viuente.* Praeterit enim σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, *habitus* (species) *huius mundi.* I. COR. VII, 31.

§. VII. Qui denique altiora semper cogitant et cupiunt ambitiosi homines, vanam de sua praestantia opinionem fouentes, aliosque penes se plerumque contemnentes, in diuersis multiplicibusque rebus sibi placent, ac modo in hac, modo in alia re praerogatiuam quandam et ἐξοχὴν prae aliis quaerunt. Obseruat celeberrimi nominis theologus IO. FRANC. BVDDEVS in instit. theol. mor. P. I. cap. I. sect. IV. §. LVII. eiusmodi vermiculos in solem insur-

gentes interdum in rebus plane ludicris, v. g. certo veſtimentorum genere, corporis robore, formoſitate, titulis, voce ſtentorea etc. eminentiam aliquam quaerere; interdum ſpecie paullo honeſtiore, eam in variis animi dotibus, ſcientia, eruditione, polyhiſtoria, ſimilibusque quaerere; interdum denique aliud quid arripere, quo ſe meliores praeſtantioresque aliis credant. Lepide DIO CHRYSOSTOMVS l. c. *Hic* (de ambitioſo homine loquitur) *natura ſua neque aquilis, neque gruibus, nec vlli volatilium generi, ſed ſi quis aequiparare velit, illi vehementi, et praeter naturam concitato volatui Icari ſimillimus* etc. Et IO. CONRAD. DANNHAVVERVS l. cit. *Superbia vitae*, inquit, *et ambitionis et faſtus obiecta ſunt, ſuperbae veſtes, palatia, famuli, vbedae, dignitates, magiſtratus, praelaturae.* Legi omnino merentur, quae vener. noſter MARPERGERVS, theologus ſupra inuidiam poſitus, in exquiſita ſua, primae Iohannis epiſtolae interpretatione hanc in rem affert. Add. LANGIVS l. c. Niſi fallimur, praecipua τῆς ἀλαζονείας τοῦ βίου obiecta conſtituunt *gloria* et *potentia*. Haec cauſſa eſt, propter quam nonnulli moralis ſcientiae doctores duas ambitionis ſpecies faciant, *gloriae* nimirum et *potentiae cupiditatem*. Atque de priori illa ambitionis ſpecie animus eſt impraeſentiarum ex inſtituto commentari. Spiritus DEI, qui eſt ſpiritus veritatis, in omnem veritatem nos ducat, et ab omni errore immunes praeſtet. Colluſtret oculos mentis noſtrae diuina luce ſua, vt ſenſum verbi, in Scripturis nobis reuelati, rite intelligamus et dextre explicemus. Omnia dona bona et perfecta abs TE proficiſcuntur. Sine TE nihil ſumus, nihil poſſumus, nihil videmus.

Adſis

Adsis ergo nobis gratia TVA, viresque nobis largire, vt bene cedat opus, et omnia eueniant ex voto!

§. VIII. Fundamenti loco substernere placet illustre illud oraculum, ab ipsomet Seruatore optimo aduersus Iudaeos enunciatum, cuius verba IOH. V, 44. ita fluunt: Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε; ERASMVS noster SCHMIDIVS sic vertit: *Quomodo potestis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, gloriam autem, quae a solo Deo* proficiscitur, *non quaeratis?* Optime B. LVTHERVS in linguam nobis vernaculam transtulit hoc modo: *Wie könnet ihr glauben, die ihr Ehre von einander nehmet? Vnd die Ehre, die von GOtt allein ist, suchet ihr nicht.* Nodum in scirpo quaesiuit IO. HENR. REITZIVS, quando in sua noui testamenti translatione germanica in locum verborum: *Die Ehre, die von GOtt allein ist*, substituit verba: *Die Ehre, die von dem alleinigen GOtt ist.* Perinde enim est, siue hoc, siue illo modo vertas, cum et sensus vtrobique sit idem, et eadem vtrobique perspicuitas.

§. IX. In codice MS. bibliorum Graecorum Alexandrino, qui apud Anglos, tanquam κειμήλιον, in bibliotheca Iacobaea asseruatur, itemque apud CHRYSOSTOMVM homil. XL. in Ioannem, nec non in codice illo euangeliorum, qui in bibliothecae Colbertinae codicibus MSS. numero 2844. apparet, pro πιστεῦσαι legitur πιστεύειν, quemadmodum docet IO. MILLIVS et GERH. A MASTRICHT, in nitidissimis suis noui testamenti editionibus ad h. l.

Manum medicam vt variationi huic afferret Maſtrichtus, ad canones ſuos criticos, ſecundum quos variantes lectiones N. T. examinandae, et de iis iudicandum, ſpeciatim ad canonem ſextum ſe recipit, qui hic eſt: *Non pro variante lectione, ſed pro negligentia deſcriptoris habendum, quum temporum, modorum ac verborum mutationes, vel generum aut caſuum contingunt.* Iuxta hunc igitur canonem in mendo cubat oraculum noſtrum, nec lectio varians hic habet locum, delendusque aoriſtus infinitiui πιϛεῦσαι, et pro eo ponendum praeſens πιϛεύειν. Enimuero, quod pace viri caeteroquin longe doctiſſimi dixerim, hoc modo non ſoluitur nodus, ſed ſecatur. Largior facile, codices quosdam noui foederis, culpa ſcribarum, aliquibus in locis corruptionem paſſos eſſe, beneficio artis criticae emendandos, reſtituendosque. Tantum vero eiusmodi corruptionum eſſe numerum, quantus vulgo perhibetur, id equidem vt credam, nondum a me impetrare potui. Prorſus in ea ſum ſententia, absque vrgentiſſima neceſſitate, codicis ſacri integritatem ſinceritatemque ſollicitari non debere, ne hoſtium ludibrio eum exponamus. Optime facillimeque nos expedire poſſumus, ſi dicamus, verbum ἀορίϛου temporis, vt alibi apud Graecos, ita hic quoque praeter ſignificationem praeteriti etiam pro praeſenti et futuro vſurpari. Suppeditat nobis hunc canonem SAL. GLASSIVS philol. ſacr. lib. III. tract III. qui agit de verbo, canon. XLVII. p. 883. et ſeq vbi octo loca N. T. adducit, quibus eundem confirmat, nempe MATTH. III, 17. LVC. III, 22. MATTH. XXIII, 2. LVC. I, 47. et 68. CAP. XV, 16. IOH. I, 12. I. IOH. IV, 8.

§. X.

§. X. Robertus Stephanus in tertia sua N. T. editione obseruat, in exemplari secundo, quod contulit ex regiis, vniuersum N. T., excepta Apocalypsi, complexo, inque exemplari alio N. T. integri, Apocalypsi tamen rursus excepta, quod pariter in bibliotheca regia exstat, loco verborum παρὰ ἀλλήλων legi παρ' ἀνθρώπων. Eadem variatio occurrit in codice euangeliorum, qui olim fuit penes Henricum Googe, S. T. P. collegii Trinitatis apud Cantabrigienses socium; nec non in exemplari N. T. integri, excepta Apocalypsi, quod in collegio D. Magdalenae Oxoniensi asseruatur; porro in exemplari primo euangeliorum membranaceo formae minoris, quod D. Thomas Roe e Turcia redux bibliothecae Bodleianae donauit; denique in codice Bodleiano septimo, qui quatuor euangelia complectitur, in forma quarta maiori, cum scholiis marginalibus, quos codices omnes citat Millius l. c. nisi quod in codice Roeano voces παρ' ἀλλήλων in margine tantum exstent. Omnibus vero hisce codicibus insuper habitis, nullam et hic lectionem variantem agnoscit Mastrichtus, locum potius habere putat canonem suum criticum quintum, quo *descriptores saepe periodum legerunt, et obliti vocis vel vocum originariarum textus, substituerunt aequipollentem aut aliam, aut penitus omiserunt, quam postea, ne exemplar macularent, mutare, delere supplere noluerunt*; vel, si mauis, canonem vndecimum, iuxta quem *tres aut quatuor codices non faciunt lectionem variantem, maxime in omittendo, contra viginti, et quod excurrit, alios manuscriptos.* Si dicendum, quod res est, nullum textui periculum adfert haec variatio. Siue enim legas, τοὺς ἀλλήλους, siue

τοὺς ἀνθρώπους, idem vtrobique manet sensus, per ea, quae infra suo loco dicentur fusius.

§. XI. Circa vltimam oraculi nostri vocem difficultas quaedam adhuc supereſſe videtur. Pro secunda enim persona praesentis temporis indicatiui modi ζητᾶτε, in quibusdam codicibus legitur pluralis participii praesentis temporis ζητοῦντες. MILLIVS hanc in rem allegat codicem Seldenianum secundum anno Christi 1338. scriptum, quatuor euangelia satis pulchre exarata complexum, inque bibliotheca Bodleiana, apud Oxonienses, obuium. Porro: codicem Bodleianum sextum et septimum, quorum ille quatuor euangelia exhibet, et recenti, eaque pessima manu est exaratus, hic vero pariter quatuor duntaxat euangeliis absoluitur, in forma, quam vocant, quarta maiori, cum scholiis marginalibus, charactere satis eleganti, verum non ita vetusto. Vlterius: codicem euangeliorum Perronianum, optimae notae, & plus quam octingentorum annorum, iudice Bernardo Montfauconio, qui, antequam in manus Perronii deueniret, ad S. Taurini monasterium Ebroicense pertinuit. Tandem: Chrysostomum l. supra cit. Denique codicem Lipsiensem membranaceum quatuor euangeliorum, saeculo, vt ex charactere colligitur, decimo scriptum, quem ex Hungaria secum allatum illustrissimus Comes ab Eck, Sam. Benedicto Carpzouio, sacrarum quondam in Saxonia supremo antistiti, donauit, a quo haereditate delatus est ad filium Io. Gottlob Carpzouium, theologum hodie ac philologum

gum apud Lipsienses longe celeberrimum. Conf. IAC. LE LONG bibliotheca s. P. I. C. III. p. 389. sq. edit. Lipsi. Rectissime autem laudatus aliquoties MASTRICHTVS obseruat, vnum, immo duos, tres aut quatuor, codices non facere variantem lectionem, sed arguere incuriam descriptorum, quos in mutatione generum, casuum, temporum ac modorum saepius peccasse, constet. Conf. can. VI. et IX. coll. X. et XI. Quid quod rei ipsi nil quidquam vel accedat, vel decedat, siue ζητεῖτε legas, siue ζητοῦντες. Accedit, quod verba eiusdem temporis, diuersi licet modi, per particulam καὶ saepe coniungantur, praesertim, si ipsa haec particula naturam induat aduersatiuae, id quod hoc loco contingit. Opponuntur enim sibi inuicem haec duo membra: τὸ λαμβάνειν τὴν δόξαν παρὰ ἀλλήλων, et: τὸ ζητεῖν τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ, vt sensus sit: *Vos gloriam captatis ab inuicem*, sed *gloriam, quae a solo Deo proficiscitur, negligitis.*

§. XII. Illud adhuc addendum, quod PETRVS PISCATOR in analysi, scholiis et obseruationibus suis ad h. l. interrogandi signum, quod vulgo voci ζητεῖτε adiicitur, ponat post verbum πιστεῦσαι. Et planior profecto euadit oratio, si vel Piscatoris transpositionem sequaris, vel b. nostri LVTHERI, qui signum illud interrogationis posuit post verbum λαμβάνοντες, in sua bibliorum versione, quemadmodum obseruat cel. IO. REINH. RVS in harmonia euangelistarum lib. IV. cap. I. p. 719. Ego vero in ea semper opinione fui, et adhuc sum, interpunctiones non temere lacessendas esse, aut mutandas. Prudenter veneran-

nerandus Francofurtensium antistes IO. GEORGIVS PRITIVS in introd. ad lectionem N. T. cap. XXVII. §. VI. p. 264. *Si vel maxime*, inquit, *postea additas fuisse* interpunctiones *statuamus, qua in opinione non inficior esse viros doctissimos, tamen eas a cuiuscunque inepti librarii libidine fuisse introductas, et hodie posse sine vrgente necessitate, et pro cuiusque saltem arbitrio deseri aut mutari, id adfirmanti nolim concedere Hugoni Grotio; quin potius a doctissimis illius ecclesiae doctoribus arbitror ex legitimis mediis fuisse constitutas, a quibus non sine temeritate et absque praegnantissimis rationibus fuerit recedendum.* Consentit cel. IO. IAC. RAMBACHIVS in institut. hermen. lib. III. cap. I. §. XIV. p. 425 sqq. Si quid iudico, nihil obscuritatis habet oratio, etiamsi vel maxime signum interrogationis relinquatur in loco solito. Laudo modestiam, quam hic adhibuit RVSIVS l. cit. in verbis, quae sequuntur: *Quodsi tamen relinquere ibi volueris, interrogatio haec negatiua, non tam affirmaret, quod quaerant, vti alias fieri solet: sed grauius potius negaret, et exprobraret illis pertinaciam suam.*

§. XIII. Ad rem ipsam quando nunc accedimus, ante omnia, et primo quidem loco, nexus, quem oraculum nostrum cum antecedentibus habet, unacum scopo totius sermonis CHRISTI nobis erit expendendus. Nimirum liberator noster, cum esset festum Iudaeorum, ascenderat Hierosolymam, ibique triginta octo annorum aegrum, frustra, sanationis ergo, hucdum ad piscinam Bethesda decumbentem, miraculose sanauerat in Sabbatho v. I. - 9. Male hoc habuerat Iudaeos. Itaque in hominem sana-

sanatum impetum primo faciunt v. 10. 11. 12. 13. deinde in ipsummet IESVM v. 14. 15. 16. Causſam rabiei suae quaerunt in violato, vt opinabantur, sabbatho, cuius sanctificatio seuere esset demandata in lege. Defendit factum suum Seruator optimus aduersus eos, ita, vt v. 17. doceat, se, eo non obstante, nihilominus ex DEO, immo vero ipsum DEVM esse, qui ad leges, de certis diebus, nequaquam adstrictus sit, nec operibus suis, sanctis quippe et diuinis, profanet sabbathum, quoniam operetur, quodcunque, quomodocunque et quandocunque velit. Magis haec CHRISTI de persona sua professio offendit Iudaeos, vt iam de eo interficiendo cogitarent, propterea, quod et sabbathum violasset, et blasphemiam commisisset. v. 18. Dubium hoc vt Iudaeis eximat CHRISTVS, suam cum patre ὁμοουσίαν verbis paullo clarioribus edisserit, eorundemque criminationi, de obiecta blasphemia, respondet, sub geminata asseuerationis formula confirmans, se, filium, non quidem propter impotentiam aut dependentiam quandam, sed propter essentiae vnitatem, non posse quidquam facere, nisi viderit facientem patrem suum. Nam quaecunque pater faciat, eadem et eodem prorsus modo, virtuteque independente, etiam se facere, filium. Cumque modus operandi sequatur modum essendi, aeque filium esse Deum a se et independenter, ac patrem v. 19. Amplius suam cum patre ὁμοουσίαν declaraturus, vrget amorem, quo pater illum, tanquam sibi coaequalem, complectatur, ex quo amore proficisci dicit, quod omnia, quaecunque ipse facit, ostendat ita filio, vt cum essentia etiam dederit in aeterna generatione, qua Deo,

et in personali vnione, qua homini, etiam filio. Quin et maiora his, quae nunc in paralytico patrarat, ipsi opera ostensurum et per illum editurum, vnde ipsi sint admiraturi huius hominis eminentiam vere diuinam, hinc elucentem, v. 20. Aliud praeterea argumentum ad demonstrandam ὁμοουσίαν suam cum patre petit CHRISTVS ex aequali mortuos resuscitandi potestate, exemplum quodpiam maiorum istorum operum, quae editurus sit, iisdem proponens, v. 21. Quod vt tanto magis innotesceret Iudaeis, amplius illustrat exemplo iudicii vniuersalis, quondam habendi, quod in iudicante arguat omniscientiam, omnipotentiam et omnipraesentiam, quae attributa in neminem alium, quam in solum Deum quadrent. Et hoc sibi competere probat, v. 22. Porro docet, neutiquam se pro blasphemo reputari posse, propterea, quod se Deo patri suo aequalem faciat, eum enim in finem patrem enumerata sibi ἀυχήματα dedisse, vt omnes, quotquot olim sunt resuscitandi et iudicandi, honorent filium, eodem modo, eodemque adorationis cultu, quo patrem honorare soleant, credantque in eum, tanquam Θεάνθρωπον, quotquot salutis aeternae participes fieri velint v. 23. Gemina hinc asseueratione certiores reddit Iudaeos, omnes, qui audiunt verbum suum, et fidem illi adhibent, creduntque patri, a quo in mundum missus sit, vt salutem recuperet, in certissimam spem vitae aeternae venire, nec iudicio condemnatorio subiici, sed ex morte eluctari in vitam. v. 24. Sed vt efficaciam verbi sui vere diuinam persuadeat Iudaeis, sese impetentibus, v. 25. affirmat, quod mox sint experturi, multos, ex spiritualiter mortuis, eam filii Dei vocem ita audituros esse,

vt

vt obsequentes ipsi, vitam nanciscantur spiritualem, Deo gratam atque acceptam. v. 25. Vlterioris confirmationis ergo addit, quod, quemadmodum pater suus vitam habeat in seipso independens, ita quoque sibi, filio, dederit, eandem habere in seipso, et vt largiri ille possit, cuicunque velit, velle autem obsequiosis, et non morose resistentibus. v. 26. Ne autem Iudaei exciperent: homo tu es, ergo diuina tibi arrogare non potes, citra blasphemiae crimen, palam nunc profitetur, sibi, etiam qua homini, in diuinam hypostasin cooptato haec competere v. 27. Quod vero praeuideret CHRISTVS, humilem suam formam Iudaeos offensuram, quo minus fidem dictis adhiberent, etiam hoc ipsis dubium eximit v. 28. insimulque qualem resurrectionem putet, corporalem nimirum, non spiritualem, exponit v. 29.

§. XIV. Quae de se, filio hominis iam v. 19. in tertia persona enunciauerat CHRISTVS, ea nunc v. 30. in prima persona eloquitur, vt suam cum patre et ὁμοψηφίαν et ὁμοουσίαν tanto maiori cum perspicuitate Iudaeis inculcaret. Quod autem facile coniicere posset, gentem incredulam testimonium hocce suum, vtpote domesticum, alto supercilio spreturam esse v. 31. hinc, fidem verbis suis conciliaturus, ordine iam recenset testimonia illa, quibus nitebatur. Horum *primum* petebat ab infallibili patris caelestis de se effato MATTH. III, vlt. v. 32. *Secundum* a testimonio Iohannis baptistae v. 33. quamuis v. 34. se neque Iohannis, neque alius cuiusquam hominis testimonio indigere declaret, addita tamen ratione, ob quam illud produxisset. Dignitatem istius viri propterea extollit, ne eius de se testimonium contemnerent

v. 35. *Tertium* ab operibus miraculosis a se editis, & a nemine quoquam in dubium vocandis v. 36. Conqueritur hinc de contemtu Iudaeorum, quo exceperint vocem patris, cum olim per prophetas v. T. ipsumque Mosen, tum nuper ad Iordanem de se factam v. 37. Et, licet vel maxime verbum Dei vbique crepent, hoc tamen ad salutem illis haud sufficere, docet, nisi etiam intra animos suos admittant, menteque fideli custodiant. v. 38. Quare ad sollicitum magis sacrarum litterarum scrutinium eos amandat, indeque *quartum* de se testimonium arcessit v. 39. reprehenso vna praepostero Iudaeorum in sacris studio, damnataque falsa illorum opinione, quasi lectio Scripturae qualiscunque salutem afferat v. 40. Tandem obiectiones hostium suorum clandestinas occupat CHRISTVS, ipso facto sic demonstrans, non iactitare sese eum, qui non sit v. 41. sed omniscium se esse, proque omniscientia sua probe nosse, quod castum DEI amorem illi non habeant, vtpote vera fide destituti, quantumuis de eodem vbique glorientur v. 42. Amplius id demonstrat ex eo, quod se non recipiant, qui tamen venerit in nomine patris sui v. 43. immo vero tantam eorum esse pertinaciam, vt ne credere quidem possint, in commate nostro affirmat, addita ratione, quod gloriam vnus prae altero captet, eamque tam cupide omnes consectentur, vt, quoniam animaduerterent, se eam penes IESVM Nazarenum non consequi, eum pro Messia non haberent, vtut is diuinam suam legationem illis ad oculum demonstraret. Conf. omnino IO. REINH. RVS loc. cit.

§. XV. Cognito sic nexu pariter atque scopo oraculi

culi nostri, proximum iam est, vt argumentum eius ordine concinno nunc exhibeamus. Complectitur autem illud duo fere membra, *thesin* scilicet, et eius *probationem*. Thesis haec est: *Vos* Iudaei *non potestis credere*. Assertionis huius probatio redditur gemina. Altera in verbis: quia *honorem ab invicem accipitis;* altera vero in verbis: quia *honorem illum, qui a solo Deo est, non quaeritis.* Non sumus nescii, nouissimum euangelii Iohannis interpretem, celeberrimum FRID. ADOLPH. LAMPIVM in commentario suo analytico-exegetico, tam textuali, quam reali, in h. l., et ante eum plures forte alios, quorum nomina recensere superfluum ducimus, inuerso ordine incedere, thesinque in probationem, probationem vero in thesin mutare, vt sensus sit: Vos Iudaei vitiosa laboratis qualitate circa scopum, quem in actionibus vestris vobis propositum habetis, dum *primo* falsum scopum vobis praefigitis, *honorem ab inuicem accipientes*, dum *secundo* verum scopum negligitis, *honorem illum, qui a Deo solo est, non quaerentes;* ex hac vitiosa actionum vestrarum qualitate non potest non sequi, quod nullam habeatis fidem, immo ne habere quidem possitis. Enimuero vti cuilibet hac in parte suam libertatem relinquimus, ita eandem nobis quoque relictum iri speramus, praesertim cum vtrobique nec a scopo CHRISTI aberretur, nec verbis ipsis vis inferatur.

§. XVI. Iam quod *thesin* ipsam concernit, tria in eadem consideranda occurrunt 1) *subiectum*, siue personae, de quibus CHRISTO est sermo; 2) *praedicatum*, siue res, quae de subiecto praedicatur; 3) *modus*, quo praedicatum de subiecto enunciatur. De singulis ordine.

Subiectum, de quo agitur, totidem verbis in commate, quod explicandum nobis sumsimus, equidem non exstat, sed tantum per pronomen ὑμεῖς significatur. Ad commata vero antecedentia 10. 15. 16. 18. quando respicimus, eiusdem plus simplici vice mentio iniicitur. Cum Iudaeis scilicet quod CHRISTO res sit, palam est. Sed vt clara notio rerum Iudaicarum habeatur, protinus sciendum, quod, cum lapso Adae, primo hominum parenti, promisisset Deus, futurum eius lapsus reparatorem; selegerit Iudaeos sibi in populum, in quo ostenderet et significaret, quid esset gesturus per illum reparatorem, Messiam. Neque hoc solum, sed tantus Dei erga hunc populum amor fuit, vt ipsum, prae omnibus aliis gentibus, innumeris plane beneficiis dignum iudicaret. Namque singulare foedus cum eo pepigit, externoque signo illud obsignauit, videlicet circumcisione; e captiuitate Aegyptiaca potenti manu eduxit; hostes eius prostrauit; omnis generis facinora et mirabilia in eodem perpetrauit; post longum iter, per loca deserta, in terram Canaan, omnibus bonis abundantem, deduxit, Mosenque dedit ducem ac doctorem etc. conf. PSALMVS LXXIIX. vbi magnalia Dei, ab exitu ex Aegypto ad electionem vsque Dauidis, verbis amplissimis praedicantur. Ad hoc ergo quia Deus selegerat Iudaeos, quibus sua iudicia, et quae gesturus esset, manifestaret; ideo per excellentiam vocati sunt populus Dei. Postquam aduenisset tempus completum, quo filium suum pater emitteret in carnem, promissi sui memor, non solum ex semine Abrahami et Dauidis, sed etiam in Iudaea, in vrbe Dauidis, quae vocabatur Bethlehem, eum

nasci,

nasci, ac Nazarethae in domo parentum educari, inque ista regione vitam priuatam constanter ab eo transigi voluit, donec ministerium publicum subiret. Atqui hoc etiam munere, per annos propemodum quatuor, inter solos fere Iudaeos functus est, nisi quod interdum fines gentilium attingeret, in praeludium futurae gentis, in tenebris ambulantis, et in terra vmbrae mortis sedentis, conuersionis. Notae sunt eius conciones ac disputationes, quas publice et priuatim Hierosolymis et alibi habuit. Nota sunt eius miracula, quibus doctrinas a se traditas ad conuictionem et stuporem vsque omnium, qui eadem spectauerant, hinc inde confirmauit. Nota denique est vita eius sanctissima, et ab omni prorsus labe aliena, quam a prima sua infantia vsque ad funestam, quae ipsi in cruce subeunda erat, mortem, in terris exegit, aduersus quam ne infensissimi quidem hostes habebant, quod exciperent. Et ne quid deesset praerogatiuis Iudaeorum, quas habebant prae aliis gentibus, etiam Apostoli, priusquam ad gentes abirent, et euangelium praedicarent omni creaturae, testes Christi inprimis esse debuerunt cum Hierosolymis, tum in vniuersa Iudaea et Samaria. ACTOR. I, 8.

§. XVII. Iudaeorum dum Christus meminit, neutiquam putare debemus, quod solummodo populum seu turbam ex infima plebe intelligat, sed primores etiam, ipsosque synedrii magni assessores, et inprimis Pharisaeos ac Scribas. Obstare quidem videtur vitae ratio, quam tenuerunt Pharisaei, quo minus in eundem cum reliquis censum venire possint

ac

ac debeant. Id enim agebant vnice, vt sanctitatis pietatisque famam sibi adquirerent. Spectant huc frequentes eorum lustrationes, MARC. VII, 3. preces longae et quidem in locis publicis ad Deum fusae, MATTH. VI, 5. LVC. V, 33. quibus et crebra adiungebant ieiunia, MATTH. IX, 14. LVC. V, 33. et constanter quidem bis in hebdomade, LVC. XVIII, 12. decimarum exacta solutio etiam de rebus minimis, MATTH. XXIII, 23. superstitiosa sabbathi obseruatio, adeo, vt gestationem lecti, spicarum euulsionem ad sedandam famem, immo sanationem aegrotorum eo die prohibitam censerent, MATTH. XII, 2. LVC. VI, 7. IOH. IX, 16. inepta ac superstitiosa simul circa iuramenta cauillatio, merito a Christo reprehensa MATTH. V, 34. sqq. et cap. XXIII, 16. sqq. Praeterea cum profligatae vitae hominibus non capiebant cibum, immo ne tangi quidem ab iis se patiebantur; MATTH. IX, 11. LVC. VII, 39. Phylacteria insuper sua dilatabant, et vestium suarum amplificabant fimbrias, vt hac quoque in re legum diuinarum obseruantiores, quam reliqui homines, viderentur; MATTH. XXIII, 5. His denique addendum ingens illud studium, quo flagrabant, faciendi proselytos, seu illorum numerum, qui ex gentilibus Iudaeorum sacra amplectebantur, augendi, MATTH. XXIII, 15. Vt enim ex cultu, moribusque externis religionem omnem metiebantur, nec dubitabant, eam, quam tenebant ipsi, vitae rationem omnium rectissimam esse, rem Deo pergratam se facere, existimabant, si alios homines ad idem vitae institutum perducerent. Haec enim superstitionis est indoles, vnde simul grauissimum erga quosuis dissentientes odium haud raro ori-

ri

ri solet, quemadmodum sapienter notat ven. IO. FRANC. BVDDEVS hist. eccles. tom. poster. per. II. sect. VII. §. XVIII. p. 1205. coll. p. 1204.

§. XVIII. Non minus obstare videtur singularis illa eruditio, rerumque diuinarum notitia, quam in Pharisaeis et Scribis ea aetate admirabantur omnes, quibus litterarum sacrarum studium curae cordique erat. Sedebant in *cathedra Mosis*, et eiusmodi potestate ac dignitate gaudebant, vi cuius populum in synagogis erudiebant, in synedrio ius dicebant, et responsa in casibus dubiis dabant, in scholis suis atque in conuentibus doctorum Mosen interpretabantur, & quaestionibus atque responsionibus mutuis illustrabant, doctrinae Mosaicae conuenienter. Ipse liberator noster MATTH. XXIII, 3. turbis et discipulis suis praecepit, vt *omnia seruarent, quaecunque illi praeciperent.* Quae vniuersalitas tamen κατὰ τὸ ὑποκείμενον capi debet, quatenus nempe ea docerent, quae τῇ καθέδρᾳ Μωσέως conueniant, et quamdiu Mosis doctrinam retineant. Quodsi enim dissona tradituri forent, illa τηρεῖν καὶ ποιεῖν non debebant auditores, siquidem *magis obediendum Deo, quam hominibus* ACTOR. V, 29. Idem, cum LVC. XI, 52. vae adnunciasset legisperitis, hanc suae comminationis reddidit rationem: ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως. Vbi, vtrum verbum ἤρατε reddas *tulistis* (vobismet scilicet) an *abstulistis* iuxta IO. LIGHTFOOTVM in horis hebr. et talmud. in h. l. perinde est. *Tulerunt* sibi clauem scientiae, cum sibi solis arrogarent sapientiam et profunditatem doctrinae, atque ex hac ipsa re *abstulerunt* clauem scientiae a populo, quia nihil docuerunt, nisi vafra & futilia.

Clauem TERTVLLIANVS non male exponit interpretationem Scripturarum. Et mos erat apud Hebraeos, eum, cui potestas dabatur legem interpretandi, claue data quasi in possessionem muneris mittere.

§. XIX. Haec omnia vero licet ita se habeant, firmum tamen certumque manet, ad Pharisaeos et Scribas aeque ac ad reliquam Iudaeorum gentem oraculum nostrum pertinere. Esto enim, quod doctrinarum Mosaicarum non exiguam habuerint cognitionem, nude tamen litteralis illa erat, variisque praeterea erroribus contaminata. Quos inter primus et capitalis ille fuit, quod traditiones πατροπαραδότους verbo Dei scripto praetulerint, MATTH. XV, 3. sqq. Si fides habenda IOSEPHO, cum professione tum affectu Pharisaeo, omnia fato geri asseruerunt, vt tamen eo ipso liberum arbitrium hominis non negarint, antiqq. iudaicar. lib. XVIII. cap. II. Tacemus opiniones falsas, quas habuerunt de iustitia: homines mereri remissionem peccatorum operibus, et iustos esse illa externa disciplina, quam vtcumque homo potest praestare. Sic habuerunt imaginationem: regnum Christi fore temporale: neque receperunt hoc, quod Messias esset passurus, quod passio et obedientia filii Dei esset sacrificium pro peccatis generis humani. Illa sane doctrina extincta fuit apud plurimos: apud alios tamen magis, apud alios minus. Caeterum etiam στοργὴν liberorum erga parentes, voti religionisque praetextu, illos impie impediuisse, ipse Christus, impietatem hanc reprehendendo, docet MATT. XV, 5. MARC. VII, 11. Conf. EPIPHANIVM de haeresibus Iudaismi, haeres. III. cui tamen non vbique fides adhibenda.

§. XX.

§. XX. Haec et alia improba et erronea dum Pharisaei professi sunt placita, mirum non est, vitam moresque eorum diuinis legibus parum conuenisse. Nam etsi strictam legis Mosaicae obseruantiam iactarent, ac apud populum seuerioris disciplinae specie ac vitae sanctimonia magnam auctoritatem nacti essent, vti ex Iosepho, et ipsius postea S. Pauli testimonio ACTOR. XXVI, 5. PHILIPP. III, 5. constat, fictae tamen pietatis simulacra omnia ipsorum opera fuisse, ex ipsius Christi testimonio non vno notum est. Immo vero pessimis eos moribus, hypocrisi inprimis, auaritia, maledicentia, calumniandi libidine, aliisque vitiis contaminatos fuisse, Christus, veritatis magister maximus, cum in historia euangelica passim, tum inprimis MATTH. XXIII nos edocet. Hinc multis, licet doctrina Christi non imbutis, propter hypocrisin, ludibrio fuere; vt hac de caussa etiam nominibus ad ludibrium compositis appellarentur. Quae praeter IO. BVXTORFIVM in lexic. talmud. rabb. voce פרש, et IO. DRVSIVM de trib. sect. p. 117. etiam recenset ADAM. RECHENBERGIVS in diss. de Pharisaeis §. VIII. Graviſſimas igitur Christus habuit causſas, cur laruam cum falsae doctrinae, tum improbae vitae illis detraheret, pessimos ipsorum mores vehementer redargueret, eosque ὄφεις & γεννήματα ἐχιδνῶν, *serpentes* & *progeniem viperarum* appellaret, MATTH. XXIII, 33. omnemque prorsus fidem adeoque et salutem, in nostro oraculo, iisdem abiudicaret.

§. XXI. De subiecto hucdum explicato, gente nimirum Iudaica, iam *praedicat* Servator optimus, quod nullam habeat fidem. πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, *quomodo*

vos poteſtis credere? Verbum πιστεύειν variis ſubſtat ſignificationibus apud profanos pariter & ſacros ſcriptores. Euoluantur MATTH. FLACIVS in libello de voce et re fidei, inque claue Sc. S. voce *credere* et voce *fides*, PETR. RAVANELLVS in biblioth. ſeu theſauro Sc. S. verbo *credere*, et lexica vulgata paſſim. Præcipuos exhibet IO. CASP. SVICERVS in theſaur. eccleſiaſt. tom. II. p. 719. ſqq. Significat autem 1) *noſſe et perſuaſum habere, conſentire, rem aliquam veram eſſe.* Sic IACOB. II, 19. de daemonibus dicitur: Πιστεύουσι καὶ φρίσσουσι, *credunt, ſed contremiſcunt*, nempe τοῦτο καὶ τὰ ὅμοια, fide nimirum hiſtorica, quae non ſaluat, tantùm abeſt, vt talis fides eos iuuet 2) *committere ſeu commendare rem quampiam fidei alicuius.* Sic Rom. III, 2. de gente Iudaica dicitur, ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, *credita illis ſunt eloquia Dei*, id eſt, interprete THEODORETO, ἔλαβον τοῦ νόμου τὴν θέσιν, *legem acceperunt.* 3) *credere ſeu fidem alicui adhibere.* Ita de regio illo, cuius filium abſentem ſanauerat Ieſus, IOH. IV, 50. affirmatur: Καὶ ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, ᾧ εἶπεν αὐτῷ Ἰησοῦς καὶ ἐπορεύετο, *credidit homo ſermoni, quem dixerat ei Ieſus: ideoque abiit.* 4) *religionem chriſtianam amplecti, atque adeo fidem ſaluificam habere.* Sic de eodem regio cit. comm. exſtat: Καὶ ἐπίστευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη, *et credidit ipſe, atque domus eius tota*, h. e. inter diſcipulos Chriſti nomen ſuum profeſſus eſt, eumque ipſe Meſſiam eſſe agnouit. Aſſociauit ſe ei *tota domus*. Primo apparenter ipſe filius, in quo miraculum hoc contigerat. Hinc vxor. Denique ſerui ipſi ſub domo comprehendi poſſunt. I. COR. XVI, 15. PHILIP. IV, 22.

§. XXII. Huc pertinet phraſis πιστεύειν εἰς Θεόν, *credere*

dere in Deum, e. g. IOH. XIV. I. Πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *Credite in Deum, et credite in me.* Sic enim plerique veteris ecclesiae doctores, et cum illis celeberrimus LAMPIVS in commentar. ad h. l. verba Christi vertunt, tanquam magister discipulis suis commendet medium ad praecedentem adhortationem rite implendam. *Volebat quidem Christus*, ait LAMPIVS, *fidem suorum, quamuis exiguam, in hac adflictionum nocte conseruare* Luc. XXII, 32. *Nihilominus eos hortatur, vt et ipsi illam sollicite custodire, eaque rite vti quaerant. Licet initia fidei iam haberent, quod confessionibus pulchris interdum testati erant, nunc tamen tempus exigebat, vt singulari modo in fide se confirmarent.* Nec aliorsum referri debet phrasis πιστεύειν εἰς χριστὸν, *credere in Christum*, quae frequenter admodum in sacris occurrit. Quid autem hoc sit, explicat CLEMENS ALEXANDRINVS stromat. lib. IV, p. 635. edit. Potterian. Τὸ εἰς αὐτὸν καὶ τὸ δι' αὐτοῦ πιστεῦσαι, μοναδικόν ἐστι γενέσθαι ἀπερισσάστως ἑνούμενον ἐν αὐτῷ. Τὸ δὲ ἀπιστῆσαι, διεστάναι ἐστὶ, καὶ διαστῆναι, καὶ μερισθῆναι. *In ipsum et per ipsum credere, est vnicum fieri, scilicet in ipso indiuulse vnitum: non credere autem, est discerni, spatioque disiungi et diuidi.* Nempe *Christus in nobis, et nos in ipso* per fidem *manemus*, IOH. VI, 56. Ad vltimam significationem, phrasesque eodem pertinentes digitum intendisse Christum, res ipsa loquitur, neque inusitatum est Spiritui sancto, verbum πιστεύειν absolute ponere, hic tamen obiectum, circa quod fides potissimum versatur, facile suppleri potest ex comm. 38. *Et verbum eius non habetis manens in vobis, quia, quem misit ille, ei vos non creditis.* Quomodo pater ἀπέστειλε *miserit* filium, docet LAMPIVS ad IOH. I, l. 16. 17. Tali patris

legato in emphasi et sine omni exceptione credendum fuisset, tantus autem erat Iudaeorum stupor, vt Seruator hic conqueri necessum habuerit, quod *sibi* ne quidem sic crediderint, vti aliis a Deo missis, vel ex hominibus, debuissent facere. Si enim, vt bene concludit LAMPIVS, ne quidem assensu suo testimonium Iesu pro vero recipiebant, tum multo minus ab illis exspectari poterat, quod per *fidem in nomen eius* illum pro Messia seu pro vero mundi liberatore agnituri essent.

§. XXIII. Fidei in Christum tres vulgo constituuntur partes seu actus. *Primus* est, vt explicite cognoscamus, Christum eumque solum esse μεσίτην, *mediatorem* inter Deum et homines I. TIM. II, 5. qui semet ipsum dederit ἀντίλυτρον, *pretium redemtionis* pro omnibus ibid. v. 6. per quem solum etiam salus hominibus obtingat ACTOR. IV, 12. illis scilicet, qui in nomen eius credunt, IOH. III, 16. Quo ipso tamen non excludimus reliqua, quae de persona, officio, statibusque Christi in sacris nobis reuelantur. *Haec* enim *est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti, Iesum Christum.* IOH. XVII, 3. *Secundus* est assensus, qui ad cognitionem istam accedere debet omnino. Quodsi enim de veritate eorum, quae Scriptura sacra de Christo mediatore vnico, deque salute et peccatorum remissione per eum impetranda, nec non de reliquis, quae huc spectant, luculenter tradit, intime persuasus sit, non potest non assensus ille oriri, immo vero pugnantia secum elocuturus esset, quisquis fidem sine assensu sibi fingeret. Hinc Paulus fidem iusti-

iustificantem dicit ἔλεγχον, *conuictionem* certissimam, quae ex demonstratione, qualis est mathematicorum, oritur; itemque ὑπόστασιν *fundamentum*, *stabilimentum*, *firmitatem*, *confidentiam* HEBR. XI, 1. coll. cap. X, 38. Cumque sine assensu speciali fiducia produci nequeat, etiam hic ad fidem plane est necessarius, vt quis promissiones diuinas tanquam *sibi* dictas, ad *seipsum* transferat, firmiterque persuasus et conuictus sit, Deum *sui* quoque salutem serio velle, eumque, *sibi* peccata omnia remissurum, aeternamque beatitudinem collaturum, eo, quod meritum Christi vera fide adprehendat. *Tertius* denique est fiducia, fidei complementum, qua Christum cum omni eius merito, omnibusque bonis, per illud nobis adquisitis adprehendimus, et velut totum nostrum facimus, atque in eo, tanquam remissionis peccatorum, nostraeque cum Deo reconciliationis caussa adquiescimus et recumbimus. Conf. ROM. III, 24. vbi *gratis iustificari* dicimur *Dei gratia, per redemtionem factam in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius*. Sane fidei hic ad Christum respectus, non potest in nuda cognitione et assensu consistere; sed, vt ex parte voluntatis aliquid accedat necesse est, quo Christum hac ratione spectatum recipiamus: quod nihil aliud est, quam fiducia, vt bene monet IOH. FRANC. BVDDEVS institut. theol. dogmat. lib. IV. cap. III. §. VIII. not. * pag. 1187. sqq. Add. EPHES. III, 12. quo ipso in loco Apostolus fidei in Christum πεποίθησιν tribuit, hoc est, *fiduciam*, *confidentiam* de eo, quod cum fide, sumta pro adsensu, semper haec coniuncta est; vnde et παῤῥησία illa, et προσαγωγὴ

seu

seu *aditus ad Deum*, vtpote iam placatum, propitiumque nobis oritur. IDEM. loc. cit.

§. XXIV. Quando igitur Christus in oraculo nostro de Iudaeis pronunciat, quod non credant, has omnes fidei saluificae partes illis abiudicat, et id quidem iure meritoque. Primo namque vera destituebantur poenitentia, criminumque admissorum multitudinem ac grauitatem neque agnoscebant, neque de iisdem serio dolebant. Fidesautem sine poenitentia, in hominibus saltem adultis, esse nequit. Qui enim peccata sua non ita agnoscit, vt serio illorum eum poeniteat, et hinc, ob Deum tam grauiter laesum, angatur et excrucietur, ille etiam Christum redemtorem non magnopere expetet et desiderabit, aut vera fide ad meritum eius confugiet. Hinc summa eorum, quae Christus et Apostoli Iudaeis, omnibusque promiscue hominibus adnunciarunt, et vnde praedicationum suarum initium fecerunt, haec erat: μετανοεῖτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, *poenitentiam agite, et credite per euangelium* (*euangelio*). MARC. I, 15. MATTH. III, 2. IO. CAP. IV, 17. 23. LVC. XXIV, 47. ACTOR. II, 38. CAP. XVII, 30. Deinde a vero verae sanctitatis studio alieniſſimi etiam erant Iudaei. Hinc grauissima quaeque scelera ipsis impinguntur in historia euangelica et apostolica, nullumque est ex vtraque legis tabula praeceptum, quod non vario modo turpiter violassent; vt adeo Christus citra omnem iniuriam de degenere hoc populo affirmauerit, quod *sit ex patre diabolo, et cupiditates patris sui expleat*, IOH. VIII, 44. Atqui verae et viuae fidei haec est natu-

tura et indoles, vt non magis sine vitae sanctae studio esse possit, quam arbor bona sine fructu, IACOB. III, 17. TIT. II, 12. 13. 14.

§. XXV. Singulas praeterea fidei iustificantis partes Iudaeis et inprimis Pharisaeis ac Legisperitis defuisse, facile est probatu. Quod enim caruerint notitia spirituali, viua et efficaci, vel inde agnoscitur, quod diserte aliquoties negentur agnoscere patrem caelestem IOH. VIII, 19. *Neque me nostis, neque patrem meum. Si me nosſetis, etiam patrem meum nosſetis.* CAP. XV, 21. *Non norunt eum, qui misit me.* conf. CAP. XVI, 3. XVII, 25. Quid? quod manifestum calumniae crimen commisisset Christus exprobrando illis caecitatem cum stultitia spirituali coniunctam, siquidem talem habuissent notitiam, qualem in vere fidelibus Spiritus Dei requirit. Atqui non vna vice τυφλοὶ, itemque τυφλοὶ καὶ μωροὶ a Christo vocitantur MATTH. XV, 14. CAP. XXIII, 16. 17. 19. 24. 26. Vehementer equidem haec Christi inuectiua offendit Pharisaeos, quidpe qui se inter *videntes* collocabant, et pro talibus reputari ab aliis volebant, quare IOH. IX, 40. quaestionem obiurgatoriam mouebant, dicentes ei: *Num et nos caeci sumus?* sed dignum patella operculum tulerunt in responsione subiuncta v. 41. *Si caeci essetis* (si caecitatem vestram spiritualem agnosceretis, atque ab illa curari velletis per me, vnicum animarum medicum) *non haberetis peccatum.* (reatus vester non ita gravis esset) *Nunc vero dicitis: Videmus.* (sumus Mosis discipuli, concreditaque nobis sunt λόγια τοῦ θεοῦ etc.)

Peccatum igitur illud vestrum manet. (in hoc peccato vestro moriemini absque spe veniae CAP. VIII, 21.) Defectum notitiae spiritualis in Iudaeis non poterat non comitari defectus assensus diuini, nemo enim sapiens rei ignotae assensum praebet. Hinc data quauis occasione Christo eiusque doctrinae contradicebant, opusque illud mere diuinum, quo daemones eiecerat, per detestandam blasphemiam, diabolo tribuebant, ipsumque Dei filium maligni cum diabolis commercii postulabant MATTH. XII, 24. et MARC. III, 22. 30. Generatim ἀντιλογία Pharisaeorum et Scribarum aduersus Christum tam hostilis erat, vt non solum conuictioni, quam de dictis et factis eius acceperant, obicem ponerent, sed id etiam agerent, vt, quidquid conuictionis ac fidei Spiritus sanctus per eadem in aliis excitauerat, conuellerent et exstinguerent, conuersione istorum hominum hostiliter impedita, et regno Christi, quod per multorum conuersionem erigebatur, impugnato. De defectu fiduciae fidei in Iudaeis nil attinet dicere. Qui enim in Christo niti, seu eo inniti potuissent ita, vt in eo, tanquam basi salutis firmissima recumbere, inque eius merito, vt infans in sinu matris, aut vector in naue, adquiescere potuissent, quem pro abiectissimae sortis homine, immo pro seductore habebant, quemque tam immani et crudeli odio prosequebantur, vt honori et existimationi suae aliter consuli non posse sibi persuaderent, quam per eius suppressionem ac deletionem? Quid multis? tam alienos se a fide in Christum ipsimet profitebantur, vt in scelere laudem quaererent, publiceque gloriarentur,

tur, quod nemo ex principibus & Phariſaeis in eum crederet, ſed homines tantum plebeii, in lege non inſtituti. Quod eo minus curari debeat, quoniam illi maledicti, omniumque poenarum temporalium et aeternarum rei ſint, IOH. VII, 48. 49.

§. XXVI. Neque tamen propterea tertium illum verbi πιστεύειν ſignificatum, quo *credere* eſt *fidem alicui adhibere*, hic excluſerim. Tanta namque Iudaeorum erat malitia, tanta pertinacia, tantus denique ſtupor, vt nec ſermones Chriſti admitterent, nec miraculis eius crederent, quamuis nil quidquam haberent, quod adverſus ea iure exciperent, ſed Nicodemus, ex Phariſaeis vnus, in colloquio cum Chriſto inſtituto, fateri neceſſum haberet IOH. III, 2. *Rabbi, ſcimus, quod a Deo veneris magiſter: nemo enim illa ſigna poterit facere, quae tu facis, niſi Deus ſit cum ipſo.* Quae concluſio longe erat ſolidiſſima. Talia enim ſigna, qualia Ieſus faciebat, miracula erant proprie dicta, (quae nemo ſponte ſua facere poteſt, niſi Deus PSALM. LXXII, 18.) cumque doctrina ſancta et vita inculpata vbique coniuncta. Certe non vna, ſed diſtinctis oppido vicibus deteſtandam hanc incredulitatis ſpeciem Iudaeis Servator obiicit. Conf. IOH. III, 12. *Si terrena dixi vobis, et non credatis: quomodo, ſi dixero vobis caeleſtia, credetis?* CAP. V, 38. ſqq. *Et ſermonem eius non habetis in vobis manentem; quia, quem miſit ille, huic vos non creditis. Perquiritis ſcripturas, quia putatis in illis vitam aeternam vos habituros. Et* (certe) *ſunt illae, quae teſtantur de me. Et* (tamen) *non vultis venire ad me, vt vitam aeternam habeatis.* Et CAP. VI, 36. *Sed dixi vobis,*

bis, quod et videritis me, et (tamen) *non credatis.* Quae Christi verba in omni emphasi intelligenda esse puto, vt non solum designent *fidem denegare*, sed etiam, quod inde resultat, *pro mendaci habere ac declarare*, quod, quoad Dominum, cum atrocissima calumnia ac blasphemia erat coniunctum.

§. XXVII. Magna profecto erat miseria, in qua Iudaei propter incredulitatem suam versabantur, illud autem infelicitatem eorum non parum augebat, quod ne credere quidem potuerint. Pertinent huc verba Christi: πῶς δύνασθε πιστεῦσαι, *quomodo potestis credere?* Quae quaestio emphatica modum innuere videtur, quo incredulitatis vitium de gente peruicacissima praedicat Seruator omniscius, siquidem modus aliquis in praesenti negotio locum habere potest. Interrogationem quandoque negationis absolutae vim inferre, pridem obseruatum est rerum philologicarum peritis. Bene MATTH. FLACIVS in clauc Sc. S. part. II. tract. IV. qui est de tropis et schematibus S. litterarum p. 371. sq. *Est*, inquit, *etiam aliud quoddam interrogationum genus, quod videtur modum ac formam rei quaerere; cum simpliciter neget rem totam: de qua in voce* quomodo *diximus. Nam ista vocula* quomodo, Wie? *Joh. 6. et alias saepissime, non quaerit de modo agendae, aut etiam actae rei, sed simpliciter negat, aut falsitatis arguit sermonem alicuius.* Consentit SAL. GLASSIVS phil. sacr. lib. V. tract. II. cap. V. p. 2031. sq. *Quomodo* πῶς, aiens, *in interrogatione positum absolute quandoque negat.* Add. MATTH. DEVARIVS de particulis graecae linguae p. 327. sq. Exempla, quibus duumuiri illi

li Flacius et Glassius hanc suam obseruationem ex sacris probant, sequentia fere sunt: EXOD. VI, 12. 30. DEVT. VII, 17. IVD. XVI, 15. PSALM. LXXIII, 11. et CXXXVII, 4. MATTH. XII, 26. et 34. CAP. XXIII, 33. MARC. IV, 13. LVC. VI, 42. IOH. VI, 42. 52. CAP. XII, 34. ROM. X, 14. 15. I. COR. XIV, 7. 9. 16. I. TIM. III, 5. HEBR. II, 3. etc. Quibus noster, circa quem versamur, locus omnino addendus, quidpequi aliam interpretationem non admittit, quam hanc: Vos Judaei, cum quibus mihi (Christo) impraesentiarum res est, et ad quos haec mea oratio dirigitur, neque hactenus credidistis, neque nunc creditis, neque in posterum crediturí estis. Immo vero nulla plane spes supereſt, quod ad fidem in me, sine qua tamen nulla apud patrem meum gratia, nulla peccatorum remissio, nulla denique salus exspectanda, perducendi sitis, quamdiu tali estis animo, qualis iam apud vos deprehenditur.

§. XXVIII. Celeberrimus LAMPIVS I. cit. p. 134. emphasin latere credit in pronomine ὑμεῖς, *vos*, per illud ipsum enim haud obscure indicari putat, nuspiam hanc credendi impotentiam in maiori gradu posse locum habere, quam apud Iudaeos, qua tales. Cum enim huius impotentiae proxima origo sit peruersitas voluntatis, hinc illos potissimum in credendi hac impotentia versari, qui voluntatem suam ita indurassent, vt *nollent* ad Iesum tam claro testimonio Scripturae reuelatum *venire*, veluti v. 40. illis esse obiectum: Καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε, *et non vultis venire ad me, vt vitam aeternam habeatis*, h. e. in me credere, phrasi apud Iohannem passim obuia e. g.

CAP. VI, 35. 37. 44. 45. CAP. VII, 37. CAP. X, 41. CAP. XIV. 6. Compara IES. XLV, 24. CAP. LV, 1. 3. PSALM. XCV, 1. 2. PSALM. C, 2. etc. Haec ipsa vero voluntatis pertinacia vt tolleretur, nulla plane spes apparebat, quamdiu dogmati, quo vlcera ipsorum tangebantur, locum apud se non relinquerent. Quod adeo clarum esse, idem LAMPIVS arbitratur, vt Iesus, proposita quaestione, *quomodo*, quae non solum fortius neget, sed etiam ad conscientiam alterius prouocet, eumque non solum ad silentium, sed etiam ad conuictionem et confessionem permouere allaboret, consequentiae huius euidentiam suorum oculis quouis modo subiicere tentauerit. Add. IOH. XII, 38. sq. ad quem locum IOACH. CAMERARIVS praeclare ita scribit. *Notant Graeci, particulam ἵνα hoc etiam loco, non αἰτιολογίας habere significationem, sed ἐκβάσεως, id est, non causſac, sed exitus siue euentus. Non enim istos ideo non credidisse, quod dicta ea essent a Propheta: sed quoniam crediturι ipsi non essent, ita praedixisse Prophetam, quod euenit. Et sic factum quoque esse, vt credere non possent, quod aduersarentur et refragarentur doctrinae caelesti, cuius ipse iam filius Dei coram praeco esset. Quae et caecitas oculorum, et aures obtusae sunt, itemque cordis calli, obstantes intelligentiae. Itaque Theophylactus sic:* τὸ οὐκ ἠδύναντο, ἀντὶ τῶν, οὐκ ἤθελον. *Improbi enim non possunt credere, perseuerantes in improbitatis comtumacia, id est, permanentes in proposito atque voluntate improbitatis. Atque ita excaecat oculos horum, deserens atque destituens eos lux diuina: sicut occidens sol noctem efficit. Nam qui non admittunt radios lucis diuinae, illi caecantur: et qui non vult exaudire salutarem sermonem, surdus recte perhibetur. Vt ita indicetur contumacium ac repugnan-*

gnantium miseria, qui deserti a Deo, neque videant, neque audiant, neque intelligant pertinentia ad veritatem caelestem, et suam salutem. Idque iam absentia lucis, et silentio vocis diuinae effici dicitur et solet.

§. XXIX. *Posse* credere non est in viribus hominis, quas per naturae conditionem habet, sed est donum Dei, qui solus in nobis fidem operatur, eiusque caussa efficiens principalis vnica exsistit. Est enim productio fidei opus aliquod infinitae Dei potentiae EPH. I, 19. quod attributum nulli creaturae competit, sed creatorem a rebus creatis discernit. Vt ergo nulla creatura vitam naturalem alteri largiri potest, ita multo minus vita spiritualis, cuius radix et fundamentum fides est, rei cuiusdam creatae virtute produci potest. Disertis verbis idem confirmat Seruator ipse IOH. VI, 44. οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, *nemo* (quisquam) *potest venire ad me* (credere in me IOH. V, 40.) ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ *nisi pater* (a quo, sicut reliqua dona bona et perfecta omnia, ita etiam fides proficiscitur IACOB. I, 17.) ὁ πέμψας με, *qui misit me* (in mundum, vt mundus per me saluetur, IOH. III, 17.) ἑλκύσῃ αὐτὸν, *traxerit eum*, (per verbum suum reuelatum). Nihil ergo hic hominum viribus relictum. Caeteroquin enim dici non potuisset, οὐδεὶς δύναται. Rursus οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ διὰ χριστοῦ, *nemo ad patrem venit, nisi per filium*, qui et ipse est ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, καὶ ἡ ζωὴ, *via, et veritas, et vita.* IOH. XIV, 6. non tantum propterea, quia ista nobis promeruit, sed etiam ideo, quod ipsemet ea largiatur. Quare merito ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως, *inchoator* (dux) *ac consum-*

consummator fidei dicitur HEBR. XII, 2. Cumque οὐδεὶς δύναται εἰπεῖν Κύριον Ἰησοῦν, εἰ μὴ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, *nemo nisi per Spiritum sanctum possit Christum Dominum suum vocare*, hoc est, suam in eum recte profiteri fidem, facile hinc intelligitur, soli Deo trinuni eiusque gratiae ac misericordiae beneficium istud miseros mortales in acceptis ferre debere. Add. IOH. VI, 29. EPHES. II, 8. COLOSS. II, 12. PHILIPP. I, 29. II, 13.

§. XXX. De ἀδυναμίᾳ credendi naturali, hoc in loco non agi, res ipsa docet, neque enim illa solis Iudaeis propria, sed vniuerso generi humano, post deplorandum Adami lapsum, communis est. Aliunde igitur caussa mali arcessenda, a peruersa nempe istorum hominum voluntate, quae impediebat, quo minus vel in Christum credere, vel dictis et miraculis eius fidem adhibere potuerint. Itaque illi potissimum in credendi hac impotentia versabantur, qui voluntatem suam sic indurauerant, vt *nollent* ad Iesum venire. Haec vero voluntatis pertinacia vt tolleretur, nulla spes supererat (Lampii verbis vtimur l. cit.) quamdiu illa vanae gloriae cupido, et ille verae gloriae contemtus in illis dominabatur. Non igitur absolute, sed respectiue, habito scilicet respectu ad Iudaeorum ambitionem et vanae gloriae studium verba Christi sunt capienda, eo sensu, quem ante iam indicauimus. Bene IAC. RAVPPIVS biblioth. portatil. lib. III. part. VI. p. 866. pronunciat: Quomodo *hic est negantis simpliciter, id est, non potestis credere. Non quod simpliciter esset impossibile, eos credere, sed quod*

quod esset impossibile credere tanta superbia et ambitione inflatos. Similiter HVGO GROTIVS in adnotat. ad h. l. *Ostendit* Christus, *non quid simpliciter ἀδύνατον; sed quid ab illis* (Iudaeis) *exspectandum non sit, quamdiu tali sint animo: et subintellige, tali dogmati, quo vestra vlcera tangantur.* Neque vero hic loquendi modus Seruatori erat insolens, sed plura prostant noui foederis loca, in quibus idem occurrit. e. gr. LVC. XIV, 26. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et vxorem, et liberos, et fratres atque sorores, atque adeo etiam suam vitam,* (hoc est, qui aliquid supra me amat, φιλεῖ ὑπὲρ ἐμέ, vt loquitur MATTH. X, 37.) οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι, *non potest esse meus discipulus.* Et v. 27. *Et quisquis non baiulat crucem suam, et sequitur me;* οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής, *non potest meus esse discipulus.* Vtne plura iam cumulemus.

§. XXXI. Obseruant rerum philologicarum amatores, verbum δύνασθαι nonnunquam voluntatem tantum denotare, nonnunquam vero praeter voluntatem etiam includere actum. Pro sola voluntate accipi a LXX. interpretibus in locis II. REGG. XVII, 17. GENES. XLIII, 32. Porro in nouo testamento MATTH. XXVI, 61. coll. MARC. XIV, 58. et IOH. II, 19. MARC. III, 23. CAP. VI, 5. II. TIM. II, 13. APOC. II, 2. Pro voluntate vero et actu simul accipi IOH. V, 19. CAP. XII, 39. coll. v. 37. et alibi. Vtraque acceptio ad locum nostrum quadrat. Siue enim dixeris, Iudaeos noluisse Christo vel in Christum credere, siue dixeris, eosdem actu et reapse non credidisse, nihil adfirmabis a vero alienum. Quod enim credere noluerint, innuitur v. 40. οὐ θέλε-

τε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε, *non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*, hoc est, adeo deprauata est voluntas vestra, vt neque serio vitam ipsam, neque vnicum ad illam perueniendi medium anheletis. Inde frequenter Iudaei tanquam *non volentes* introducuntur a Christo MATTH. XI, 16. sq. CAP. XXIII, 37. LVC. XIX, 14. Prophetarum hac in re vestigia premente, qui et ipsi hanc voluntatis renitentiam in Israele non semel notarunt PSALM. LXXXI, 12. PROV. I, 25. &c. Sed quod etiam actu non crediderint, inter alia liquet e comm. 43. vbi in praesenti tempore de iisdem enunciatur: οὐ λαμβάνετέ με, *non suscipitis me*, verum respuitis, licet ita venerim, vt, si modo attendere velletis, abunde cognoscere possetis, me in nomine *patris* venisse, vt summum prophetam et sacerdotem, non solum ad verba eius ad vos perferenda, sed etiam ad opus eius, in debellando hoste infernali perficiendum, qui character est in emphasi Messiae conueniens.

§. XXXII. Atenim vero cum exprobrato Iudaeis, a Christo Seruatore, in oraculo nostro, incredulitatis crimine, parum conuenire videntur ea, quae IOH. XII, 42. de primoribus populi, eorumque fide, praedicantur his admodum verbis: ὅμως μέν τοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν, *verum tamen etiam ex primoribus populi multi crediderunt in eum*. Per τοὺς ἄρχοντας quinam intelligi debeant, videsis apud CAMP. VITRINGAM de Synagog. vet. lib. II. cap. X. et lib. III. part I. cap. I. Confer praeterea IAC. RHENFERTI inuestigationem praefectorum et ministrorum synagogae, ex quorum doctissimorum virorum scriptis amoebaeis, quidquid de hac

hac materia cognoſci poteſt, hauriendum eſt. Quoad hos igitur inſtantia quaedam moueri poteſt. Etiamſi ſcilicet maior populi pars Chriſtum pro Meſſia non agnouerit, factum tamen id fuiſſe ab illis, qui ſapientes in Iſraele et caecorum duces exſtitiſſent. Perquam erudite autem huic dubio ſatisfecit laudatus iam aliquoties LAMPIVS in commentar. ad h. l. *Per fidem* (principum Iudaeorum) ait, *non intelligenda eſt fides ſalutaris, ſed hiſtorica, per quam ex criteriis Meſſiae a Prophetis delineatis conuicti erant, Ieſum eſſe Chriſtum, veluti* CAP. II, 51. VIII, 30. 31. *perſuaſi ſumus.* 1) *Quia v. 43. tale quid de ipſis praedicatur, quod nonniſi in irregenitos cadit.* 2) *Quia euentus id oſtendit, cum nihil quicquam legantur pro innocentia Ieſu locuti fuiſſe, ne quidem in condemnatione ad mortem, in quam omnes conſentiebant* LVC. XXIII, 51. *ſolo Ioſepho & Nicodemo exceptis* LVC. *loc. cit.* IOH. VII, 50. *quos propterea non adfuiſſe in condemnatione Domini cenſemus.* 3) *Quia ita optime poteſt conciliari* I. COR. II, 8. *vbi diſerte Apoſtolus dicit, quod* οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου *agnouerit ſapientiam Dei in occulto, quoniam alias Dominum gloriae non crucifixiſſent.* Quid eosdem a plena Chriſti receptione praepediuerit, proponitur v. 42. fine: ἀλλὰ διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται, *ſed propter Phariſaeos non confitebantur, ne exſynagogi fierent* Conſtituerant nempe ſecum Iudaei, vt, ſi quis Chriſtum confiteretur, ἀποσυνάγωγος γένηται IOH. IX, 22. Nihil ergo aliud ὁμολογεῖν hic deſignat, quam liberam oris profeſſionem coram hominibus MATTH. X, 32. quod Chriſtus ſit verus Meſſias. Quae confeſſio ad ſalutem in genere eſt neceſſaria, ROM. X, 9. *Quare*

subdit LAMPIVS) *nihil boni de his principibus praesumere licet; de quibus haec ὁμολογία simpliciter negatur. Quod eo magis stringit, tum quia illis, tanquam Principibus, minus a Pharisaeis timendum fuisset, tum quia haec descriptio non videtur ad illum dierum paucorum ante mortem Iesu articulum restringenda, sed etiam ad tempus post effusionem Spiritus sancti sequens extendenda esse.* Eundem in sensum noster olim AEGIDIVS HVNNIVS in comment. ad h. l. scripsit: *Vera et saluifica fides semper cum pia oris confessione coniuncta est. Vnde principibus Iudaeorum nil profuit, quod maiestate miraculorum Christi in suis cordibus conuicti, tacito conscientiae testimonio Messiam ipsum esse sentiebant, et tamen ob retinendum fauorem gloriamque hominum id dissimulabant.* Breuiter & rotunde ERASM. SCHMIDIVS ad h. l. *Fuerunt hypocritae, nec vere crediderunt.*

§. XXXIII. Age vero ad probationem ἀπιστίας genti Iudaicae a Christo exprobratae nunc accedamus, eamque ita, vti par est, expendamus, ne gratis peccati huius longe atrociſſimi quemquam postulasse videatur is, qui ipsa erat veritas, et in cuius ore nulla vnquam fraus, nullus dolus, nullum denique mendacium deprehensum fuit. Desumsit autem eam a spurio, quem in actionibus suis sibi praefixerant, scopo. Regula generalis omnium sermonum, omniumque actionum nostrarum haec esse debet, vt a Deo suum habeant exordium, et in gratiarum actione desinant. Ea demum vera est pietas, quae Deum agnoscit principium et finem omnium eorum, quorum felicem optamus successum, per verba Pauli clarissima: I. COR. X, 31. *Siue editis, siue bibitis, siue* aliud

quid

quid facitis; omnia ad gloriam Dei facite. Similis commonefactio exstat COLOSS. III, 17. *Quidquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu* facite, *gratias agentes Deo et patri per illum.* Et EPHES. V, 20. *Gratias agentes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo et patri.* Regulam hanc sanctissimam longeque aequissimam turpiter neglexerant Iudaei, in alia potius omnia, quam in eam intenti. Quid igitur mirum, ex matre tam inuenusta tam inuenustum quoque prodiisse pullum?

§. XXXIV. Qui vel obiter verba Christi considerant, confestim deprehendunt, ex duplici potissimum capite Christum probare, Iudaeos summae incredulitatis reos esse, neque iniuriam ipsis fieri, quod palam eius arguantur. Primam probationem inde petit, quoniam *honorem ab inuicem accipiant.* Alteram vero inde, quoniam *honorem illum, qui a Deo solo est, non quaerant.* Vtrumque argumentum vt curatius paulo expendamus, ordo requirit. Vocabulum δόξα, quando de hominibus accipitur, inter τὰ μέσα pertinet, et tam in bonam, quam in malam partem sumitur. In bonam partem quando accipitur, tum equidem *gloria* verae virtutis ac sapientiae fructus est, eamque, velut vmbra corpus, sequitur, Salomone teste PROV. III, 35. *Gloriam* (non inanem illam vulgi iactationem, sed incorruptum solidumque apud recte sentientes virtutis suae praeconium, famam ac aestimationem, dignitatem, etc.) *sapientes* (hoc est pii, quidpe qui vere sapiunt circa vnum summeque necessarium, vt Maria LVC. X, 14. hoc est, circa ea, quae salutem animae concernunt, quatumuis

etiam simplices sint alias ratione mundanae astutiae vel peccatorum, ROM. XVI, 19.) *haereditate accipient* (proprie, perfecte, perpetuo, suauiterque possessuri sunt) Conf. FLACIVM in claue Sc. S. part. I. f. 389. Et CAP. IV, 8. 9. ait: *exalta* (magnifac) *eam* (sapientiam) *et exaltabit te* (extollet et te, siue verbis encomiasticis, siue factis, vel reipsa, siue quoad famam ac aestimationem, siue quoad realem bonorum perceptionem) *glorificabit te*, (collocabit te in suggestum vel gradum gloriae) *cum amplexatus fueris eam.* (hoc est, cum intime dilexeris eam, ac instar sponsae amabilissimae suauiter et arcte amplexeris, eique tam indiuulse agglutineris, vt omnes tuas delicias in ea quaeras, immo nunquam taedio eiusdem superatus eam dimittas.) *Dabit capiti tuo augmentum gratiae*, (tam apud Deum, quam apud homines) *coronam decoris tradet tibi.* (vt prae cunctis aliis hominibus emineas singulariter, aestimeris, audiaris, colaris.) Vid. GEIERVS in commentar. ad h. l. Consentit CICERO, homo ethnicus, lib. III. quaest. Tusculan. *Gloria*, inquit, *recte factorum plerumque comes est.* Et pro Milone: *ex omnibus praemiis virtutis, si esset ratio habenda praemiorum, amplissimum est praemium gloria.*

§. XXXV. Datur et honor imperatus. Inter status, in quibus hodie viuimus, praecipuus sine dubio est ciuilis. In eo, qui imperantium munere funguntur, omni merito honore digni censentur, pertinetque inter officia parentium, vt reuerentiam gestibus, verbis et factis exhibeant magistratibus, vel quibus suam hi potestatem delegant, vt ita testatum faciant, se de officio magi-

stratus

ſtratus honeſtam et ſublimem fouere opinionem. Poſtulat idem Paulus, ROM. XIII, 7. *Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Sed neque ſacri ordinis homines ſuo defraudandos eſſe honore, idem Apoſtolus nos condocet. Cum enim Epaphroditum ſuum Philippenſibus ſubmitteret, et eum, et omnes, qui huiusmodi eſſent, ἐντίμους in pretio et honore haberi cupit PHIL. II, 29. Et I. TIM. V, 17. ſeniores, qui bene praeſunt, διπλῆς τιμῆς *duplici honore* dignos reputat. Etſi enim τιμὴ hoc loco, pro ſubiecta materia, proprie de honore exhibendo, quoad alimoniam publicam, accipienda videtur: ſicut et ſupra τιμᾶν, V. 3. nihil tamen impedit, quo minus in genere de quouis honore eis habendo, eoque μείζονι ſeu πλείονι, ἢ ἄλλως accipiatur, veluti obſeruat ER. SCHMIDIVS ad h. l. Denique quis ignorat, in quarto decalogi praecepto liberis iniungi, vt parentes non modo ament, ſed et honorent? *Eſt enim honor res amore multis modis ſublimior, vtpote quae non tantum amorem in ſe complectatur, verum etiam ſingularem quandam modeſtiam, humilitatem et reuerentiam, quae cuidam quaſi maieſtati hic occulte habenda ſit. Neque tantum exigit, vt amanter et cum honore parentes compellemus, ſed omnium maxime, vt et corpore et animo ita nos geramus, exhibeamus, vt in exiſtimatione magni apud nos ſint, ac poſt Deum pro ſummis ac maximis inter homines intueamur. Cui enim non ſimulate, ſed ex animo honorem dare volumus, hunc profecto maximi pretii hominem eſſe exiſtimemus oportet.* Quae ſcita eſt b. noſtri LVTHERI explicatio in Catechiſmo maiore.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Haec ipsa vero vocabuli δόξης in bonam partem acceptio in Iudaeos non quadrat. Cum enim nec vera sapientia, nec vera pietas in ipsis fuerit, qui potuisset eos veri nominis gloria sequi? *Vera gloria piorum est*, ait BASILIVS in PSALM. VII, p. 140. Defloratae gloriae homines sunt, quorum doctrinae tam corruptae, quorumque mores tam mendosi sunt, quales Iudaeorum et in primis Pharisaeorum, tempore Christi fuisse, constat. Praeterea nemo sapiens, nemoque pius expetit gloriam aut affectat. *Sequi gloriam, non appeti debere*, ex vero iudicat PLINIVS epistolar. lib. I. epist. VIII. Est enim *vmbra tantum virtutis*, iuxta SENECAM epist. LXXIX. Et quis nescit, *fortes ac sapientes viros non tam praemia sequi solere rectè factorum, quam ipsa rectè facta.* CICERO pro Milon. Virtus sibimet ipsi sufficit, gloriamque potius fugit, quam vt eam insequatur. Δόξα ὄντως, τὸ ταύτης ὑπερορᾶν, καὶ μηδένα αὐτῆς ποιεῖσθαι τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς τὸ τῷ Θεῷ δοκοῦν ἅπαντα καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν. *Vera gloria est gloriam contemnere, eiusque nullam habere rationem, sed ad Dei voluntatem omnia et dicere et facere*, inquit CHRYSOSTOMVS homil. III. in Iohannem. Et GREGORIVS NAZIANZENVS orat. XXII. p. 401. Μία δόξα, τὸ δόξης ἁπάσης ὑπεριδεῖν ἐπὶ τηλικούτοις. *Vna gloria, vt pro tantis rebus gloriam omnem contemnamus.*

§. XXXVII. Honorem vero et reuerentiam, quae Pharisaeis debebatur propter officium, quo publice fungebantur, nemo temere ipsis denegabat. Apud populum enim seuerioris disciplinae specie, ac vitae, quam iactabant, sanctimonia, summam auctoritatem nacti

nacti erant, vt, quod ipsi dixerant vel fecerant, ius fasque ab omnibus esse crederetur. Conf. EPIPHANIVS loc. supra cit. Et licet Christus laruam cum falsae doctrinae, tum improbae vitae illis detraxerit, pessimosque ipsorum mores MATTH. CAP. XXIII. grauissime redarguerit, tantum tamen abest, vt vel ipsorum honorem laedere, vel muneri sacro, quod administrabant, quidquam detrahere voluerit, vt potius decem illos leprosos, a se mundatos, ad Sacerdotes ablegauerit, partim vt factae mundationis testes essent, partim vt doceret, non abolere se illa, quae constituta sint a Deo ad auctoritatem & conseruationem ministerii tuendam. Add. MATTH. VIII, 4. ad quem locum CYPRIANVS epist. LXV. sic commentatur: *Dominus noster ipse Jesus Christus, Rex & Iudex & Deus noster, vsque ad passionis diem seruauit honorem Pontificibus & Sacerdotibus; quamuis illi nec timorem Dei nec agnitionem Christi seruassent. Nam cum leprosum emundasset, dixit illi:* Vade, & monstra te Sacerdoti, & offer donum. *Humilitate ea, qua nos quoque esse humiles docuit,* Sacerdotem *adhuc appellabat, quem sciebat esse sacrilegum.* Pergit: *Item sub ictu passionis, cum alapam accepisset, & ei diceretur: Sic respondes Pontifici? nihil ille contumeliose locutus est in personam Pontificis; sed magis innocentiam suam tuitus est. - - - Docuit enim Sacerdotes veros legitime & plene honorare, dum circa falsos Sacerdotes ipse talis exstitit.*

§. XXXVIII. In malam partem quando accipitur vocabulum δόξης, notat vanam & inanem gloriam, quae non δόξα, sed κενοδοξία est. De ea BASILIVS M. in Psalm. VII. p. 140. ὁ ἐπὶ τῷ κοίλῳ πλούτῳ δοξαζό-

ξαζόμενος, καὶ ὁ τὴν ὀλιγοχρόνιον τιμὴν τῶν ἀνθρώπων περιέπων, καὶ ὁ ἐπὶ τοῖς σωματικοῖς πλεονεκτήμασι πεποιθὼς, δόξαν ἑαυτῷ ἔχει, οὐκ ἀνανεύουσαν εἰς τὸν οὐρανὸν, ἀλλ' εἰς τὸν χοῦν ἐναπομένουσαν. *Qui ob terrenas diuitias gloriatur, & ab hominibus captat ac venatur honorem, breui tempore duraturum, quique in exuberanti copia rerum corporalium ſpem habet, is profecto gloriam ſibi conciliat, non quae ad caelum adſpiret, ſed in puluere permanentem.* ISIDORVS PELVSIOTA epiſt. DLXIII. lib. V. p. 719. Ἡμεροκαλές ἐστι, τουτέστιν, ἄνθος πρὸς μίαν μόνην χεδὸν ἡμέραν ἀκμάζον, τὸ δοξάριον τοῦ κόσμου τούτου. *Vnius diei flos eſt, id eſt, ad diem tantum durans flos eſt, gloriola huius mundi.* Hinc dicitur ὑπερίτρεπτος δόξα *mutabilis gloria*, BASILIO M. epiſt. XLII. Δόξα τὸ χαλεπὸν θηρίον, ὁ δαίμων ὁ δεινὸς, ἡ λύμη τῆς οἰκουμένης, ἡ ἔχιδνα ἡ ἰοβόλος. *Gloria, ſaeua illa beſtia, daemon ille callidus, pernicies orbis terrarum, vipera venenata.* Compara CHRYSOSTOMVM homil. XXXV. in I. ad Corinth. epiſtolam & homil. XXX. in Iohannem p. 673. apud SVICERVM in theſ. eccl. tom. I. voce δόξα p. 946. Grauiter ab hoc vitio nos dehortatur Paulus GAL. V, 26. Μὴ γινώμεθα κενόδοξοι, *ne efficiamur inanis gloriae cupidi.* Κενοδοξίαν, interprete FRID. BALDVINO in commentar. ad h. l. vocans *inanem gloriam, quando aliquis non Dei & hominum recte ſentientium iudicia de ſuis laboribus ac donis quaerit, neque etiam propriae conſcientiae approbationem, ſed temere ſeipſum iactat, & eminentiam quandam affectat, tantum vt alios deprimat, & ipſe ſolus magnifiat.*

§. XXXIX. Vanam hanc & inanem gloriam Iudaei dicuntur λαμβάνειν. Verbum λαμβάνω apud ſcriptores

ptores Graecos, tum sacros, tum profanos, numero plurimas agnoscit significationes. ERASM. noster SCHMIDIVS in operoso suo adnotationum in N. T. volumine p. 345. sqq. earum quadraginta duas enumerat. Add. DAN. HEINSIVS in exercitat. sacr. ad Nonni in Iohannem metaphrasin cap. XXVI. p. 476. THOM. GATAKERVS aduersar. miscellaneor. posthumor. cap. XXVII. Opp. p. 719. sqq. IO. CASP. SVICERVS in thesaur. eccles. tom. II. p. 209. sqq. voc. λαμβάνω & lexicorum conditores passim, quos describere nefas. Sufficit hic indicasse, in nostro loco λαμβάνειν, idem esse, quod *ambitiose aliquid quaerere, captare, sibi vindicare, in eo acquiescere, cupide amplecti* etc. vt sensus sit; Vos Iudaei estis animalcula tam inflata, gloriaeque tam cupida, vt in omnibus vestris actionibus nil nisi proprium honorem ambiatis, & vt spectemini ab hominibus. Ad hunc scopum refertis omnia, &, vt eum consequamini, omni ope laboratis. Haec meta vestra est, ad quam quotidie tenditis. Hoc summum bonum vestrum, in cuius fruitione omnem beatitudinem & felicitatem ponitis, quodque tantis animorum nisibus anhelatis, vt omnibus noui testamenti bonis longissime praeferatis. Quod mox per ζητεῖν declarat liberator optimus, ἡ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε. Consentientes nobiscum habemus THEODOR. BEZAM & MATTH. FLACIVM, quorum ille in adnotat. maior. in N. T. ad h. l. p. 382. sic pronunciat: λαμβάνοντες *Vulgata & Erasmus verterunt*, qui accipitis. *Ego* captandi *vocabulo vtimalo, vbi de studio & conatu agitur.* Hic vero in glossa N. T. ad h. l. p. 368. *Accipere gloriam* inquit, *hic captare & aucupari auide significat.* Et

paullo ante ad comma noſtrum hanc facit gloſſam: *Accuſat* Chriſtus Iudaeos, *quod nec ſtudium quidem verum habeant, placendi Deo ac ſeſe ei probandi, ſed potius hominum iudiciis ac voluntatibus ſeſe accommodent, vt ab eis probentur & laudentur. Hunc igitur dicit eſſe vnum ex fontibus ipſorum incredulitatis: qui fons mali indicatur etiam infra* c. XII, 43. Et in claue Scr. S. P. I. p. 103. λαμβάνοντες, inquit, *potius videtur ſignificare captantes aut ambientes, quam accipientes. Nam accipere gloriam, vbi vltro offertur, non impedit fidem. Sed qui captant hominum fauorem ac gloriam, multa contra verbum Dei ad voluntatem hominum facere coguntur.* Veſtigia Flacii premit SAL. GLASSIVS in Philol. S. lib. III. tr. III. p. 767. ſq. λαμβάνοντες *accipientes* (Ioh. V, 41. 44.) idem eſt, quod *accipere conantes, ſeu gloriam quaerentes et captantes, ſtudio gloriae vanae ducti. Patet haec expoſitio ex membro oppoſito huius verſus.* Iunge HVG. GROTIVM, qui in adnotat. ad capitis noſtri v. 34. ſcribit: λαμβάνω *hic eſt requiro, vt infra* v. 43. et 44. *vbi in oppoſito membro ponitur* ζητεῖν, *vt idem valens.* Sic *latine* accipere *dicimur, quod auide appetimus.* Sed & verba δόξαν οὐ λαμβάνω hunc in modum interpretatur: *Ego, quae dico, de mea auctoritate non dico, appetitu honoris a vobis adipiſcendi.*

§. XL. Non ſine ratione Chriſtus in textu addit, Iudaeos gloriam accipere παρὰ ἀλλήλων. Notant Grammatici, vocem ἀλλήλων vel reddi aduerbialiter, per *inuicem, mutuo;* vel nominaliter, per *alter alterum;* vel per pronomen *inter ſe.* Sunt, qui putant, hoc loco ob additam praepoſitionem παρὰ nominaliter accipi debere, vt παρὰ ἀλλήλων idem ſit, quod παρὰ ἄλλων, *ab aliis.* Sed malumus nos cum Beza, Grotio, Schmidio

dio, aliisque vertere per *inuicem*, *mutuo*, etc. Tanta scilicet gloriae cupiditas Iudaeorum animos occupauerat, vt singulari prorsus modo nunquam non in ea eminuerint. Iam olim Moses, vir diuinus eam praenidit DEVT. VIII, II. sqq. et, quoniam gentem suam tenerrimo prosequebatur amore, paternum plane in modum omnes ac singulos commonuit, vt sibi caueant, ne obliuiscantur Iehouae Dei sui et praeceptorum eius, neue se ipsos efferant, obliti magnifica Dei opera; quasi sibi manu sua pepererint illa omnia, sed vt agnoscant, Iehouam ipsis dedisse vires, ad strenue rem gerendam. Voluit eos ἐπιμένειν τῇ χρηστότητι ROM. XI, 22. Quodsi autem neglexerint Dominum, illos similiter perituros, atque periissent gentes istae, quas Iehoua perdidisset in facie ipsorum.

§. XLI. Respondit praedictioni euentus; quam parum enim saluberrimis suis monitis profecerit doctor optimus, testantur repetitae illae querelae, quibus ex interuallo sermones suos compleuerunt Prophetae. Sic Iesaias CAP. XXVIII, 1. *Vae*, inquit, *coronae fastosae temulentorum Ephraimi et flori marcido decoris ornamenti eius, qui est super caput vallis pinguissimae contusorum a vino.* Fastosam vel superbissimam nominat coronam Ephraimi, ex affluente, in pinguedinum valle, voluptatum terrestrium omnisque amoenitatis illecebrarum copia, lasciuientis et superbientis, inque sua corona seipsum insolenter extollentis. Superbiebat autem temporibus Esaiae regnum decem tribuum sub Pekach, filio Remaliae, qui diutius fuit felix, et Iudam vehementer affligebat, ita, vt superbissima cum Rezino consilia inirentur de deturbando Achaso. CAP. VII. Sic Hoseas CAP. V, 5 poenas praedicaturus Israeli,

decem tribuum populo, mox in Israelem et Ephraim diuiso, inter causſas ſupplicii primo loco ponit גאון, quae vox *elationem animi* ſeu *ſuperbiam* denotat. Conf. PROV. VIII, 13. IES. XIII, 11. CAP. XVI, 6. IEREM. XLVIII, 29. etc. Et intolerabilis profecto erat Israelitarum ſuperbia; nolebant enim, licet admoniti, ad Iehouam reuerti, eumque, tanquam Deum et Dominum ſuum agnoſcere. Compara CAP. VII, 10. vbi eadem prorſus occurrunt verba, non aliter intelligenda, quam multiplex Israelis peccatum, et ſpeciatim ſuperbam eius aduerſus Deum contumaciam breui fore cauſſam claram et neutiquam diſſimulandam iuſtiſſimae perditionis. Inprimis Zephanias CAP. III, 11. Iudaeos ſui temporis nominat *exſultabundos elationis*, hoc eſt, vel elationis animi, vt abſtractum cum concreto iunctum denotet homines quam maxime faſtuoſos et exſultabundos adeo: vel elationis externae gentis, ſeu altitudinis et gloriae eius multiplicis, conſiſtentis tum in aliis Dei in eam beneficiis et priuilegiis, tum etiam in vrbe magnifica Ieruſalem eiusque cultu et templo, quod mox in *monte ſanctitatis* clarius deſignatur, quando erit haec exſultationis cauſſa ob quam, ſubintellecta ſic fere praepoſitione aliqua, vt vult IO. MARCKIVS in commentar. ad h. l.

XLII. Omnium maxime vero in primores, ſacerdotes, et, qui primo loco nominandi erant, in Phariſaeos turpiſſimum illud κενοδοξίας vitium cadebat; tam enim ſuffeni ſibi erant iſti homines, tantosque alebant ſpiritus, quantos nemo alius. Nominis originem ſi ſpectemus, plerique eos dictos volunt a radice פרש, quatenus ſignificat *ſeparauit* vel *ſeparauit ſe*, quaſi

quasi diceres ἀφωρισμένους, *separatistas* siue homines vitae morumque instituto ab aliis separatos. Sic SVIDAS in lexico voce Φαρισαῖος: Φαρισαῖοι οἱ ἑρμηνευόμενοι, ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν ἢ ἀφορίζειν ἑαυτοὺς τῶν ἄλλων ἁπάντων εἴς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου ἢ ἀκριβέστατον, ἢ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Φάρες γὰρ κατὰ τὴν ἑβραΐδα γλῶτταν ἀφορισμὸς ἑρμηνεύεται. *Pharisaei sunt, quos interpretari licet separatos, eo quod quasi diuiderent sese atque separarent ab aliis omnibus hominibus, cum purissimo exquisitissimoque viuendi genere, tum etiam praeceptorum legis ratione.* Phares *enim Hebraica lingua separationem significat.* THEOPHYLACTVS in CAP. III. Matthaei: Φαρισαῖος ἑρμηνεύεται ἀποκεκομμένος. ἐδόκουν γὰρ ἐν τῷ βίῳ ἢ τῇ γνώσει ἀποκεκόφθαι, ἢ ὑπερέχειν τῶν ἄλλων. *Pharisaeus, si interpreteris, est abscissus, segregatus. Videbantur enim Pharisaei in vita et cognitione separati esse, et alios superare.* Et in CAP. V. Lucae: Φαρισαῖος ἀποκεκομμένος τῶν ἄλλων. *Pharisaeus ab aliis segregatus.* Et in CAP. XI. Lucae: οἱ Φαρισαῖοι ὡς ἀσκηταὶ ἐδόκουν, ἢ ἀποκεκομμένοι τῶν ἄλλων. *Pharisaei videbantur esse velut ascetae, et ab aliis segregati.* THEOPHANES homil. XVI. Φαρισαῖος καθαρὸς ἑρμηνεύεται. *Pharisaeus, si interpreteris, purum significat.* Ad quem locum postremum notat SVICERVS l. cit. tom. II. p. 1418. *Non hoc significat, si vocis originem spectes: sed quia Pharisaei puritatem et sanctimoniam prae se ferebant, ideo, quod ad rem attinet nomini subiectam, vera esse potest haec interpretatio.* Addit: *Pharisaeus etiam fuit Paulus ante conuersionem suam, vnde ad vocis originem respexisse videtur, quando* Rom. I, 1. *se vocat* ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, *segregatum ad* (praedicandum) *euangelium Dei*, et quando Gal. I, 15. ὁ Θεὸς ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου, *placuit*

placuit Deo, qui segregauit me ab vtero matris meae. etc. Siue autem hoc nomen assumserint ipsi, siue inditum eis sit ab aliis, non exiguum profecto ambitionis est indicium, quidpe quo significabatur, quod ab aliis Iudaeis per superbiam discerni voluerint.

§. XLIII. Veterum monumenta qui vel superficiaria opera excutiunt, mox obseruant, in eo conspirare omnes, quod Pharisaei insana prorsus cupidine et siti honorem laudemque hominum sint venati. Euoluantur IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in Sota exc. Gem. c. III. §. VIII. 2. THOM. GOODWINVS in Mose et Aarone lib. I. cap. X. IO. LIGHTFOOTVS opp. tom. II. p. 271. qui e scriptis Iudaeorum loca varia huc pertinentia cumulant. Add. IO. DRVSIVS, NICOLAVS SERARIVS et IOSEPH. SCALIGER de sectis Iudaeorum. Ex ecclesiae Christianae priscis doctoribus vel solum CHRYSOSTOMVM allegasse sufficit, qui in catena in cap. III. Ioh. p. 82. sic eos describit: Φαρισαῖοι ἄνθρωποί εἰσι, τὴν προύχουσαν ἐν Ἰουδαϊσμῷ αἵρεσιν μετερχόμενοι, ἔντονον βίον ἐπαγγελλόμενοι, καὶ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν ἀκρίβειαν. διὸ καὶ ὡς ἐπίπαν θρασεῖς εἰσι, καὶ ὑπερήφανοι, ὅθεν καὶ ταύτην τὴν ὀνομασίαν ἔχον. Φάρες γὰρ παρ' Ἑβραίοις, ὁ διηρημένος. ἐπὶ οὖν καὶ οὗτος διαιροῦσιν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, ὡς ὑπερβάλλοντες φρονήσει καὶ βίῳ, ἀπὸ τοῦ Φάρες θέλουσι χρηματίζειν. *Pharisaei homines sunt, praecipuam in Iudaismo sectam sectantes, vitam seueriorem, summamque cum legis tum prophetarum prae se ferentes accurationem: vnde etiam se vbique iactitant*

tant, et ſuperbi ſunt, adeoque etiam inde nomen ſortiti ſunt. Phares *enim apud Ebraeos eſt* ſeparatus *Cum itaque etiam hi a caeteris Iudaeis, tanquam prudentia et viuendi ratione praeſtantes, ſe ſegregarent, a* Phares *nominari volunt.*

§. XLIV. Sed quid opus eſt probationes aliunde arceſſere, cum in hiſtoria euangelica luculenta ſatis veſtigia tumidi ac ſuperbi Phariſaeorum faſtus paſſim deprehendantur. Inſtar omnium eſſe poteſt locus plane illuſtris MATTH. XXIII, 5. vbi Chriſtus de hypocritis illis grauiter pronunciat: Πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. *Omnia opera ſua faciunt, vt ſpectentur ab hominibus.* Per τὰ ἔργα Phariſaeorum Seruator optimus hic intelligit ea, quae ſpeciem aliquam bonorum operum prae ſe ferunt, cuiusmodi ſunt orationes, eleemoſynae, ieiunia, decimationes, crebrae purificationes, profectiones ad conuertendas gentes ſuſceptae, exſtructiones ſepulcrorum prophetarum etc. veluti ſubiecta enumeratio nos condocet. In voce αὐτῶν emphaſin aliqui quaerunt, putantes, Chriſtum ideo eam adhibuiſſe, quod Phariſaei *ſua*, non *Dei* opera feciſſent. Et opera ſane ipſorum non procedebant ex fide, nec Deus per Spiritum ſanctum ea operabatur, ſiue, quod idem eſt, non fiebant ἐν Θεῷ, IOH. III, 21. ſed erant opera tantum humana, ex arbitrio quidpe humano, et corde nondum regenerato ac renouato profecta. Hinc dicuntur fieri πρὸς τὸ θεαθῆναι, quod MATTH. VI, 2. ſic exponitur, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Vbi b. GERHARDVS loco mox citando bene obſeruat, per particulam πρὸς hic non intelligi

telligi debere euentum et consequens, sed finem et scopum, siquidem omnis Pharisaeorum in operibus suis intentio eo spectauerit, non vt Deo debitum praestarent obsequium, sed vt hominibus placerent, et ab illis celebrarentur. Τὸ θεᾶσθαι, iuxta EVNDEM, plus est, quam *videri*, significat enim proprie *spectari*, id est, cum peculiari quadam attentione et admiratione videri, quod Poeta sic expressit:

Digito monstrari et dicier: Hic est.

Septuaginta interpretes vtuntur חזה, quod etiam Syrus h. l. habet, et *accuratam contemplationem* significat. Sensus igitur est, quod hoc fine et animo omnia sua opera fecerint, vt ab hominibus spectarentur et laudarentur, quodque in hac vana et inani gloria apud homines, velut in vltimo operum suorum fine, adquieuerint.

§. XLV. Non satis autem erat liberatori nostro studium vanae gloriae generatim solum exprobrasse Pharisaeis, sed vt verbis suis fidem faceret, eosque criminis huius palam conuinceret, ad specialiora progrediebatur, specimina quaedam in medium proferendo, quibus fastum suum coram omnibus hucdum demonstrassent, partim in vestitu, partim in conspectu, partim denique in congressu. Quantum *primo* ad *vestitum* Pharisaeorum attinet, pertinet huc 1) quod *phylacteria sua dilatauerint*, MATTH. XXIII, 5. IOH. LIGHTFOOTVS in horis hebr. et talmud. in h. l. phylacteria Iudaeorum breuiter et erudite explicat his admodum verbis: Has quatuor legis periochas EXOD. XIII, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. EXOD. XIII, 11. 12. 13. 14. 15. 16. DEVT. VI, 5. 6. 7. 8. 9. et

DEVT.

XI, 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. membranulis duabus inscriptas (תפלין, *Tephillin* ab iis vocatas) summa cum religione secum gestabant assidue, fronti adfixas ac brachio sinistro. Fronti, *eo loco, quo cerebri infantis est palpitatio.* Babyl. Taanith, fol. 16. 1. in Glossa. Haec frontalis maxime conspicua erat, et πλατυνθεῖσα: hinc illud, *Ne praetereat quis synagogam, dum illic oratur. -- Si vero capiti affixa habeat phylacteria, praeterire permittitur, eo quod ista testentur eum studiosum esse legis.* Maimon. in Tephillah, cap. 8. atque illud Babyl. Beracoth, fol. 18, 1. *Ambulare inter sepulchreta non licet cum phylacteriis capiti affixis, ac libro legis brachio appenso.* Dicta sunt graece Φυλακτήρια, id est, *observatoria*; eo quod essent memoratiua legis: ac *conseruatoria* etiam fortassis dicta, eo quod vim quandam habere existimarentur ad fugandos daemones. *Necesse est, vt recitentur phylacteria vespere domi, ad fugandos daemones.* Hierosol. Berac. fol. 2. 4. Pyrke in Berac cap. 1. artic. 6. Rabbenu Ader, ibid. cap. 1. col. 1. Add. EPIPHANIVS in ἀνακεφ. p. 134. Non nudam phylacteriorum gestationem in Pharisaeis damnabat Seruator, sed fastuosam ac hypocriticam. Non enim improbabile esse putat Lightfootus, ipsummet Christum ea gestasse pro more gentis; nam et a pueritia erudiendos fuisse filios Iudaeorum in recitatione phylacteriorum, cum iam catechizationis essent capaces. Babyl. Berac. fol. 22. 1. in Glossa. Lata et admodum conspicua sua sibi phylacteria fecisse *Scribas* et *Pharisaeos*, notat IDEM, vt proportionatam inde apud populum reportarent deuotionis famam atque aestimationem, cum haec vt indicia studii legis, ac si-

gna deuotionis, aestimarentur. Conf. TH. GOODWINVS in Mose et Aar. lib. I. c. X. §. XX. sqq. IO. BVXTORFIVS in synagog. iudaic. cap. IX. p. 160. sqq. aliique.

§. XLVI. Pertinet huc 2) quod fimbrias paliorum suorum magnificauerint, IBID. comm. eod. PAVLVS FAGIVS in cap. XV. Numeror. de hisce fimbriis sic disserit ex mente Hebraeorum: ציצית *est tanquam cincinnus capitis, suntque fila retorta, vel extremitas vestis, hoc est, id quod relinquitur post texturam in panno, quodque pendet ab illo, vocatur Zizith, in qua sententia est etiam R. D. Kimchi, praecepitque Scriptura suspendere Zizith in ora vestimenti, quod sic vocatur ab eo, quod rami formam prae se ferat, propter multa fila commissa, veruntamen fila assuta in ora vestimenti, quae non sunt texta vocantur* גדלים *Igitur per totam vestimenti oram fimbria huius hyacinthini coloris, id est, caerulei se porrigebat, quae vocatur hebraice* Zizith. Magis, vt opinor, perspicue eas describit IO. BVXTORFIVS loc. cit. *Vestem*, inquit, *quadrangulam, instar epomidis, vel exomidis habent. - - - A singulis angulis fimbria vel peniculamentum, octo filis albis et laneis constans, deorsum pendet, interdum quatuor interdum octo vel duodecim digitos lata. Huiusmodi* fimbriam seu peniculamentum *vocant* ציצית Zizit. *Et ab his tota huius vestis sanctitas dependet, et nomen quandoque obtinet.* Figuram eorum exhibet IO. LVNDIVS in Leuitischen Heiligthumern Lib. IV. cap. XIV. p. 798. Fundamentum huius amictus petunt ex NVMER. XV, 37. et DEVTER. XXII, 12. vt scilicet Dei mandata perpetuo secum recolant et meditentur; vt eadem illis ante oculos perpetuo obuersentur, et hac ratione a peccatis abstrahantur et auocentur, et de mandatorum obser-

obseruatione subinde commoneantur. BVXTORFIVS loc. cit. p. 163. Qui quotidie et nunquam non fimbrias has circumfert, is a diabolo et noxiis daemonibus tutus esse perhibetur. IDEM. p. 169. Hasce palliorum suorum fimbrias Scribae et Pharisaei magnificabant μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν, inquit Christus. Quidam illud sic accipiunt, quod fimbrias suas magnifice iactitauerint et extulerint, quasi certum singularis pietatis argumentum. Sed proprie interioris illius iactantiae signum externum hic describitur, quod fimbrias palliorum suorum *magnificauerint*, id est, longissimas et densissimas fecerint, quodque non contenti fuerint fimbriis vulgaribus, sed longiores fecerint, quam erant vulgares, vt ob hanc fimbriarum dilatationem magis memores et obseruantes mandatorum diuinorum viderentur, vt ait GERHARDVS l. cit. p. 554. sq. EPIPHANIVS loc. cit. *Habebant fimbrias* εἰς ἐπίδειξιν κόμπου καὶ ἔπαινον τῶν θεωμένων, *ad ostentationem elationis et laudis spectantes.*

§. XLVII. Pertinet huc 3) quod *amauerint ambulare in stolis.* MARC. XII, 38. et LVC. XX, 46. Significat autem στολὴ vestem talarem, id est, longam et ad imos vsque talos demissam, quae solet esse cultior et splendidior, quam vulgares vestes, quae domi gestantur, ac interiores, quibus stola superiniicitur. In his stolis dicit Christus *amasse* Pharisaeos *ambulare*, vt intelligatur, non actum, sed vitiosum et praeposterum adfectum in stolis ambulandi abs se damnari; θέλειν enim respondet Hebraeorum חפץ Deuter. XXI, 14. 1. Reg. XVIII, 12. Psalm. XL, 12. etc. quod

significat voluntatem cum summa cupiditate et desiderio coniunctam, Matth. XIV, 5. cap. XX, 26. Marc. IX, 35. etc. importat enim simul affectationem et acceptationem. Syrus habet verbum צבא quod pulcre huic loco congruit, significat enim non solum *voluptatem et beneplacitum habuit*, sed etiam cognationem habet cum hebraeo צבה *intumuit, inflatus fuit*, Num. XV, 5. vt indicetur, ex tumore et fastu animi hoc procedere, quod Scribae et Pharisaei ament ambulare in stolis, περιπατεῖν ἐν στολαῖς, in publicum prodire, in publico conspici, stolati siue induti stolis. Mirifice profecto sibi placebant in vestibus istis Pharisaei, quidpe quibus opinionem grauitatis et sanctitatis aucupabantur, et vt vel propterea in honore haberentur ab omnibus studebant. Putat GERHARDVS, quod apud Matthaeum dicitur, *magnificant fimbrias*, id apud Marcum et Lucam sic exprimi, *amant ambulare in stolis*. Quoniam vero inter stolas et fimbrias, itemque inter fimbrias et phylacteria non vnum discrimen intercedit, ideo credimus, Seruatorem, quando fastum Pharisaicum, quem illi in vestitu externo demonstrabant, publice redarguit, eum per partes iuisse, et primo stolas, hinc phylacteria tandem, fimbrias, vtpote in quibus omnibus praerogatiuam prae aliis quaerebant Pharisaei, curate enumerasse, vt sic detestanda eorum hypocrisis, qua et alios et semetipsos turpiter decipiebant, palam fieret apud omnes, vtque illi, qui caeca fide caecoque obsequio huic viperarum progeniei adhuc adhaeserant, imposterum rectius saperent, sibique tanto melius ab eorundem seductione cauerent, quanto luculentius adpareret, quod a vera pietate longe sint alieniſſimi.

§. XLVIII.

§. XLVIII. Quantum *secundo* ad *conſeſſum* Phariſaeorum attinet, pertinet huc 1) *amor primi accubitus in caenis*, MATTH. XXIII, 6. et LVC. XIV, 7. Πρωτοκλισία eſt locus honoratior in menſa, ſeu accubitus primus ad eandem. Obtinere πρωτοκλισίαν in conuiuiis non ponitur in vitio, nec ambitionem per ſe arguit. Cuicunque enim ratione officii ac dignitatis primus debetur locus, is non peccat, quando eum occupat. Amare autem, ambire et adfectare primum locum, vel vt Chriſtus apud Lucam l. cit. loquitur, ἐκλέγειν τὴν πρωτοκλισίαν, *eligere primum accubitum*, contendere de primo accubitu, non poſſe aequo animo ferre, vt alius vel ſuperior, vel aequalis, vel inferior primo loco ſedeat, hoc eſt, quod animum ambitioſum arguit, quodque Chriſtus in locis citatis ſummo iure in Scribis et Phariſaeis reprehendit. Neque enim dicit, *obtinent* πρωτοκλισίαν, vel *collocantur* in capite menſae, ſed θέλουσι, vt habet Marcus, ac φιλοῦσι, vt habent Matthaeus et Lucas, τὰς πρωτοκλισίας, quemadmodum ex Auguſtino bene notat GERHARDVS l. cit. p. 555. Sic autem ille ſermone CCXXXIV. de tempore: *Accuſauit* (Chriſtus Phariſaeos) *non quia accipiunt primum locum, ſed quia diligunt, hic enim cor eorum accuſauit, accuſator autem cordis eſſe non poſſet, niſi cordis inſpector.* Recte CHRYSOSTOMVS h. l. monet: *Non minus*, inquit, *inani gloriae, ſub ſpecie humilitatis, infimo, quam ſupremo loco ſedendo ſeruiri poteſt.* Fieri namque poteſt, vt primo loco ſedens in corde ſuo ſit humilis, ac reliquos ſibi praeferat, et viciſſim infimo loco ſedens ſit ſuperbus et reliquis πρωτοκλισίαν inuideat. Qui humili ſunt animo non adfectant primum locum,

cum, sed sedent in loco, qui eis designatur, cum locus honoretur ab homine, non homo a loco.

§. XLIX. Pertinet huc 2) *amor primarum cathedrarum in Synagogis*, MATTH. XXIII, 6. LVC. XI, 43. et CAP. XX, 46. Quaenam illae πρωτοκαθεδρίαι fuerint, breuiter exponit vir longe doctissimus CAMP. VITRINGA in Archisynagogo cap. XIV. p. 303. sq. *subsellia nempe Doctorum et honoratioris ordinis Virorum in synagogis.* Ante dixerat Christus comm. 2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι. *In cathedra Mosis sedent Scribae et Pharisaei.* Mosis *docuerat* populum, eique *ius dixerat*: Vnde *cathedrae docendi iudicandique* hic dicuntur *cathedra Mosis*, quam nunc occupauerant *Pharisaei*, siquidem ex Iosepho cognoscimus, eorum factionem tum praeualuisse, vnde Synedria et Academiae iis fuerunt repleta. Non agi vero hic tantum de *Synedriis*, in quibus *iudicabant*, sed et de *scholis*, liquere putat Vitringa ex comm. 4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων. *Ligare onera*, iuxta eundem hebraea פרסא est, *docere praecepta obseruanda*, quod *Doctorum* esse cuilibet est euidens. *Cathedra Mosis* igitur et illa est, quam *Doctores* in Synagogis et Academiis occupabant, caeterique νομικοὶ καὶ μαθηταὶ, qui ad *docendum* apti habebantur. Eadem leguntur in libris EIVS de synagoga veteri lib. III. part. 1. cap. VII. 709. Quid ergo? an illicitum est sedere in cathedra. Annon aequum est, vt qui reliquos doctrina et eruditione excellunt, honore etiam inter homines potiantur? Non hoc agitur a Christo, vt debito honore docentes priuet, aut ipsum docendi officium damnet, nam non de ipso solum, sed et de illius Apostolis et discipulis legi-

legimus, quod docentium cathedras occupauerint, indeque pro doctoribus agniti ab iis fuerint, quorum id scire intererat, ACTOR. XIII, 14. CAP. XVI, 13. I. COR. XIV, 30. sed vt taxet ambitum et adfectum inanis gloriae. Ideo non dicit: *collocantur in cathedris primis*, sed, *amant cathedras primas*, quod superborum est. Bene GROTIVS ad h. l. *Non sedendi ordinem, sed* τὸ φιλότιμον *reprehendit Christus*, quod in Synagogis, vbi vel maxime humilitas regnare debebat, et in quibus omnis populus, ad vitae et morum praecepta ex Mose et Prophetis audienda, conueniebat, in quibus denique suo exemplo doctores populo praelucere debebant, gloriam ac pompam quaererent, et vel sic offendiculo essent praesentibus. Compara GERHARDVM l. cit. p. 556.

§. L. Quantum *tertio* ad *congressum* Pharisaeorum attinet, pertinet huc 1) *amor salutationum in conuentibus vel congregationibus publicis.* MATTH. XXIII, 7. MARC. XII, 38. LVC. XI, 43. et CAP. XX, 46. Ἀγορὰ a verbo ἀγείρω, *congrego* hic concionem vel congregationem populi significat, perinde vt ACTOR. XVII, 17. In his congregationibus Pharisaei haud raro se conspiciendos exhibebant praesentibus, eo fine, vt ab iisdem salutarentur. Salutationem ab aliquo accipere, siue alteri eam deferre, non est prohibitum. Ipse Christus eam praecipit discipulis suis MATTH. X, 12. *Quando intratis domum* ἀσπάσασθε αὐτὴν, *salutate illam* i. e. inhabitatores domus illius, familiam domus illius. Add. LVC. X, 5. Sic Maria domum Zachariae ingressa Elisabetham salutasse dicitur LVC. I, 40. Et quidquaeso familiarius est Apostolis in suis epistolis, quam

mox proprio, mox aliorum nomine ſalutem dicere fratribus ac ſororibus? Poſtulant id genus officii et leges humanitatis, et leges chriſtianae charitatis, quarum nunquam non memores nos eſſe decet. Phariſaeorum vero ſalutationes non vno ex capite reprehenſionem Chriſti incurrebant: 1) quod tam cupide eas expeterent; apud Marcum enim dicitur τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, vbi participium θελόντων in membro poſteriore ἀπὸκοινοῦ repetendum eſt omnino. θέλειν autem hic non denotat *velle* ſimpliciter, ſed *cupere*, *deſiderare*, *optare*, *ſtudere* et tantum non *petere* ac *poſtulare*, quemadmodum ex Matthaeo et Luca adparet, qui dicunt φιλοῦσιν (φιλέντων) τοὺς ἀσπασμοὺς. Quia vero latino interpreti haec tranſitio a verbo ad nomen dura fuit viſa, ideo, iuxta Gerhardum, nomen ἀσπασμοὺς mutauit in infinitiuum, *amant ambulare in ſtolis, et ſalutari in foro.* 2) quod eiusmodi amauerint *ſalutationes*, quae non ſine quadam ſolennitate fieri conſueuerant; duplicis namque generis ſalutatio apud Iudaeos in vſu fuit, quarum altera verbis, altera vero geſtibus fiebat. *Verbis* ſic: *Dominus vobiſcum*, vel, *benedicat vobis Dominus*, RVTH. II, 4. Geſtibus varie. Ita ſalutabant interdum *incuruatione totius corporis*, vti Moſes EXOD. XVIII, 8. *Tunc obuiam proceſſit Moſes ſocero ſuo incuruans ſe* etc. interdum *oſculatione pedum* LVC. VII, 58. quamuis morem exoſculandi pedes aut nunquam, aut rariſſime apud Iudaeos obtinuiſſe, putet IO. HENR. HOTTINGERVS in notis ad Goodwini Moſen et Aaronem lib. III. cap. II. p. 480. ſq. interdum alio modo. Hinc Gerhardus *per* ἀσπασμοὺς inquit, *intelliguntur ſolennes*

lennes salutationes alta voce et capitis denudatione atque inclinatione, flexis genibus reuerenter factae. 3) quod desiderauerint honorifice salutari *in publicis conuentibus* seu locis frequentioribus, vbi magna populi multitudo confluebat, siue in conspectu plurium, vt honor esset eo amplior, quo a pluribus exhibebatur, et eo celebrior, quo pluribus spectantibus deferebatur. Denique 4) quod *priores* et ante alios omnes salutari voluerint. Vocabulum enim πρῶτος, quod apud Matthaeum v. 6. legitur, ob insequentem copulam καὶ v. 7. repetendum esse, non immerito quidam interpretes credunt.

§. LI. Pertinet huc 2) *adfectatio tituli Rabbi.* De origine huius tituli et quo praecise tempore ortus sit ille, disputent alii. Nos ex CAMP. VITRINGAE l. cit. p. 296. sqq. id tantum in praesenti notamus, quod populus Ebraeus diuisus olim fuerit in homines, quos Paulus I. COR. XIV, 24. ἰδιώτας adpellat, et Ebraei עם הארץ, Latini *vulgum*, contemptissimam plebem, quae legis diuinae cognitione imbuta non erat, et תלמידי חכמים, *discipulos sapientes* vel *sapientum*, quo nomine illi notabantur in genere omnes, qui operam legi diuinae dederant, nobilissima et maxime generosa populi pars, studiis ab infantia sacra. Atque hi quidem posteriores, disciplinae Doctorum illa aetate celebrium tradebantur, et quando iustam annorum mensuram attigerant, eundem hunc titulum רבי *Doctoris* magno studio adfectabant, et vel aptitudine sua et profectibus in patriae legis cognitione, vel praeceptorum suorum gratia consequebantur. Ex quo autem iam gra-

du aliquo supra *plebem*, vel עם הארץ euecti erant, semet ipsos valde extollebant, suamque depraedicare sapientiam, virtutem, felicitatem, in rebus diiudicandis acumen, negotii sui partem faciebant maximam, vt eo magis a plebe honorarentur. Equidem IO. SELDENVS de Synedr. lib. II. cap. VII. IO. HENR. OTTO in lexico p. 499. et GE. VRSINVS antiqq. hebr. academ. cap. VII. p. 209. sqq communem tantum salutationis hunc volunt fuisse titulum, quibusuis honoratioris ordinis viris adscriptum, et ea propter vulgatissimum. Contrarium vero CAMP. VITRINGA l. c. p. 301. et de Synag. vet. lib. III. part. I. cap. VII. liquide constare putat ex Matth. XXIII, 7. vbi Christus testatur, Pharisaeos ambire, τὸ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων καλεῖσθαι ῥαββί, ῥαββί, et ipse discipulos suos monet, ne hunc titulum adeo studiose adfectarent, ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί. Sane, (concludit Vitringa) si communissimus is titulus fuerit, concipere non possumus, cur Pharisaei, qui alta spirare consueuerant, tanto cum studio et ardore eum adfectassent, et Christus Dominus illius vsum discipulis suis adeo sollicite interdixisset. Cognoscimus enim ex tota illa pericopa, Dominum nostrum superbas illas, altasque magisterii et dominii cogitationes, vt aduersas τῇ οἰκονομίᾳ τῆς καινῆς διαθήκης, mentibus illorum eruere studere.

§. LII. Postrema haec Vitringae verba in eam fere nos adducunt sententiam, vt credamus, Pharisaeos cum titulo *Doctoris* sibi etiam vindicasse auctoritatem docendi, quod visum esset, sibique caeca fide credi voluisse ab audientibus, sine vlla vel contradictione, vel vlte-

vlteriori inquisitione, quasi penes ipsos esset, Scripturas pro arbitrio exponere, inflectere, suasque interpretationes aliis obtrudere, sicque dominium in conscientias sibi arrogare. Nisi fallimur, haec est ratio, propter quam Christus discipulis suis l. cit. v. 8. prohibuit, ne titulum Rabbi imponi sibi paterentur, non, quod curaret, quo nomine vocentur, qui docendi partes obeunt, sed vt eos contineret intra iustas metas, ne fratrum fidei dominentur. Tenenda enim semper est distinctio, vni Christo credendum obediendumque esse, quia de ipso solo vox patris de caelo personuit MATTH. XVII, 5. *Hunc audite*; doctores vero sic esse eius ministros, vt in ipsis audiri debeat, sintque sub eo magistri, quatenus personam eius sustinent Id ipsum confirmant verba immediate sequentia: *Vnus enim est magister vester Christus.* Quibus hunc honorem cuiquam negat, praeterquam vni sibi competere. Vnde sequitur, nonnisi cum eius iniuria ad homines transferri, cum solus a patre nobis ordinatus sit doctor, & quaecunque bona ac salutaria ab hominibus docentur, a Spiritu ipsius proficiscantur. Bene IAC. TIRINVS ad h. l. *Solus Christus est magister, principaliter nempe & per excellentiam; 1) scientia, quia solus ipse nouit omnia, & infallibiliter nouit, idque a nemine doctus; 2) docendi auctoritate, quam a se ipso habet*, MATTH. VII, 29. *3) efficacia, quam & ipse habet, & aliis dat*, I. COR. III, 6. *Vide* LVC. XXIV, 45. *hic solus mentes illustrat & fons est omnis veritatis.* Hunc vnum ergo Scribae & Pharisaei praedicare debuissent populo Israelitico saluatorem venturum: cerimoniis tunc adumbratum: in lege, prophetis & psalmis promissum:

missum: quod, vt facerent, Spiritu ipsius Christi duci et doceri ipsos oportebat, quo monente et afflante nunquam sua somnia, neque suas traditiones populo, loco verbi Dei, proposuissent, vtpote quibus sese ostentabant tanquam magistros solos, non a Dei Spiritu, sed a suodoctos. Hinc *Rabbi* vocari volebant superbi et elati. At, qui Spiritu Dei ducuntur, illius se ministros agnoscunt, & huic omnia tribuunt.

§. LIII. Ad altum, quo Pharisaei tumebant, fastum, illud adhuc referri debet, quod *nimium supra vulgus se extulerint.* Superbiae huic testimonium perhibent nomenclationes plebeiorum, frigida iudicia de illorum vita & moribus, negata officia, quae alioquin proximus proximo vel aduersario debet, contemtus denique & tantum non condemnationes, vt apud Iohannem CAP. VII, 49. ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρατοί εἰσι. In compendio rem exhibet IO. HENR. HOTTINGERVS l. cit. p. 176. sq. *Nuncupabant,* inquit עם הארץ populum terrae, *qualis ex descriptione Maimonidiana* ad Pirke Avoth c. v. 7. שיש לו מעלות המדות אבל אין לו מעלות שכליות in quo quidam morum gradus, sed non intellectus, *qui quaedam ad terrae conseruationem, vnde* populus terrae, *pertinentia agere valet.* Quandoque בור rudem, *cuius, ex mente Iudaeorum, status priori longe deterior ceu destitutus non tantum intellectu, verum quoque aequis moribus l. cit. Boni quidquam ab his prouenire posse negant, inde dictum illud* Pirke Avoth c. II, 5. אין בור ירא חטא ולא עם הארץ חסיד qui rudis, peccatum non timet, nec populus terrae *Assidaeus* pius est. *Et ideo exsortes resurrectionis mor-*

mortuorum declarant. Cetubh f. III, 2. אמר ר אלעזר עמי ארצות אינם חיים Dixit R. Eleasar: populum terrae non esse resurrecturum, *leui admodum argumento ex* ES. XXVI, 14. *Immo illos iugulare fas esse, vel in die expiationis, incidente in diem Sabbathi: Testimonium ei non esse perhibendum, neque ab eo recipiendum* etc. *Indignos esse eleemosyna, quare, quum aliquando R. Iehuda* הקדוש sanctus ille *vulgo dictus plebeium cibasset, poenitens in haec erupit verba,* (de sanctitate eius egregium, si Diis placet, testimonium perhibentia) אוי לי שנתתי פתי לעם הארץ Vae mihi, qui panem meum plebeio dedi. *Bava Bathra,* f. VIII, 2. Confer VVagenseilii Sotam Exc. Gem. c. III. §. VIII. 2. vbi posteriora prolixius pertractata inuenies. Addit Hottingerus: *Contemtus huius et odii, vix alia ratio, quam quod vulgus ζητήσεις Magistrorum, externam munditiem parum curae habuerit, neque sapientibus seruilia praestare officia voluerit.* Euoluatur etiam LIGHTFOOTVS opp. tom. II. p. 271.

§. LIV. Satis vt opinor, luculenta sunt haec specimina κενοδοξίας Iudaicae et inprimis Pharisaicae, aduersus quae vel propterea nil excipi poterat, quod Liberator noster non clam aut in angulo, sed publice, praesentibus omnibus, grauissimi huius peccati eos arguit. Potuissent Iudaei, si quid habuissent, pro demonstranda innocentia sua proferre, atque adeo Christum mendacii et calumniae postulare, dum vero obmutescunt, et ne mussitare quidem audent, haud obscure significant, vera esse omnia, a Christo sibi obiecta. Caetera non parum vitiositas Pharisaici fastus augebatur ex eo, quod homines, a quibus honorem

rem ambiebant, quorumque plausum et elogia tam sollicite captabant, eadem prorsus caecitate, eademque iudicii corruptione laborarent, quam ipsi. Optime doctissimus LAMPIVS l. cit. p. 131. *Quando* inquit, Pharisaei *dicuntur* A SE INVICEM *honorem sumere, tum supponitur, talium eos suffragia ambire, qui ipsis similes sunt.* Quid vero absurdius, quam eorum honorem aucupari, qui ipsi nonnisi sunt mancipia satanae, eodemque nobiscum morbo laborant. A laudatis laudari, ea demum vera laus est; illorum vero laudibus superbire, imo eas sollicite quaerere, quos omnes boni vituperant ac detestantur, id equidem et a sana ratione, et a vera pietate prorsus abhorret.

§. LV. Missa probatione prima, qua vsus est Seruator ad demonstrandum, Iudaeos κενοδοξίας seu vanae gloriae studio abreptos, indeque ad veram fidem plane ineptos esse, ad secundam nunc accedimus, cum prima illa indiuulso nexu copulatam. Habetur ea in verbis: Καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε, *gloriam autem, quae* est *a solo Deo, non quaeritis?* Opponit Christus vt aduersa, *gloriam ab hominibus sumere*, et *gloriam quaerere, quae est apud Deum.*. Non possunt enim haec duo simul quaeri, sed quisquis gloriam hominum quaerit, is non potest non gloriam Dei omittere, et vice versa, ob rationes postea indicandas. A scopo igitur dicentis aberrant, quotquot verba nostra *comparatiue* accipiunt, quasi Iudaei, interque eos praecipue Pharisaei, gloriam diuini Numinis non prorsus neglexerint, sed aliquam eius rationem habuerint omnino, ita tamen, vt gloriam hominum praetulerint gloriae Dei, inque actioni-

actionibus suis, magis ad hanc, quam ad illam respexerint. Praesidium huius explicationis se inuenisse putant in loco parallelo. IOH. XII, 43. Ἠγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, *dilexerunt enim gloriam hominum* MAGIS, *quam gloriam Dei.* Inde enim concludunt: ergo Iudaeos et Pharisaeos non simpliciter posthabuisse gloriam Dei, sed in eo tantum peccasse, quod gloriam propriam cum gloria Dei coniunxerint, immo de illa potius, quam de hac solliciti fuerint. Non iam vrgebimus, quod turpissimam idololatriam committant tum hi, qui in actionibus suis gloriam propriam vnice pro scopo habent, tum illi, qui ad gloriam propriam magis spectant, quam ad gloriam Dei, tum denique isti, qui gloriam propriam cum gloria Dei pari passu ambulare patiuntur: ex sacris quidpe abunde constat, veros Christi discipulos cum omnimoda sui abnegatione solam Dei gloriam pro principalissima et vltima meta omnium actionum suarum habere, inque singulis quasi passibus curriculi sui eam pro principio et fine agnoscere: sufficiat in praesenti obseruasse, quod non infrequens sit in Scripturis, particulas comparatiuas, ἢ, ἤπερ, μᾶλλον ἤπερ etc. pro negatiuis et aduersatiuis poni, iuxta regulam a Theologis formatam: *quandoque duo, quorum alterum simpliciter negandum est, alterum vero affirmandum*, comparatiue *efferuntur*, e. gr. PSALM. CXVIII, 8. LVC. XVIII, 14. IOH. III, 19. I. COR. VII, 9. ACTOR. IV, 19. CAP. V, 29. I. TIM. I, 4. II. TIM. III, 4. HEBR. XI, 25. Conf. SAL. GLASSIVS in philol. s. lib. III. tract. V. canon. XXI. p. 990. sqq. add. IOH. GERHARDVS l. cit. cap. CXLVII. p. 229. Accedit et

illud, quod loca Scripturae obscuriora ex clarioribus, non clariora ex obscurioribus, explicari debeant. Atqui nostrum, quod explicamus, oraculum clarius longe est, quam illud, ad quod secus sentientes prouocant, siquidem in nostro simpliciter negatur, Iudaeos gloriam Dei in actionibus suis quaerere. Ergo. Stat itaque sententia, verba nostra non *comparatiue*, sed *exclusiue* accipienda esse, scilicet, quod Iudaei, posthabita Dei gloria, vnice dilexerint sectatique fuerint gloriam hominum.

§. LVI. Duo illi Genitiui, qui in vtroque oraculo, et illo IOH. XII, 43. et nostro c. V, 44. occurrunt, ab interpretibus quibusdam *actiue* accipiuntur, hoc sensu, quod Iudaei maluerint potius homines glorificare, quam Deum, sed rectius eosdem *passiue* accipi, sensu eo, quod ab hominibus potius, quam a Deo glorificari dilexerint, Flacius, Gerhardus, aliique iam pridem agnouerunt. Certe scopus Euangelistae est, ostendere affectum, quo impediti fuerunt, quo minus in Christum crediderint, aut credere potuerint, quia apud homines vel ab hominibus glorificari cupiebant.

§. LVII. Δόξα τοῦ Θεοῦ hoc in loco non est gloria ac maiestas, quam Deus habet in semetipso, quaeque eum creaturis, iis maxime, quae ratione praeditae sunt, summe venerabilem reddit, vnde et ὁ Θεὸς τῆς δόξης, *Deus gloriae* dicitur ACTOR. VII, 2. Conf. MATTH. VI, 13. ES. VI, 3. Quae Dei gloria partim in regno gratiae, partim in regno naturae manifestatur.

In

In regno quidem naturae, per opera creationis, e quibus ſumma Numinis potentia, benignitas ac ſapientia mortalibus innoteſcit. Eo modo gloria Dei celebratur IOB. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. In regno autem gratiae per hominum redemtionem, eorundemque conuerſionem, illuminationem, iuſtificationem, adoptionem et ſanctificationem, quidpe in quibus ſumma Dei miſericordia, φιλανθρωπία, ſapientia et iuſtitia obſeruatur. Huc reſpiciebant Seraphim canentes: *cuius gloria plena eſt omnis terra*; ES. VI, 3. itemque angeli tempore natiuitatis Chriſti δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, LVC. II, 14. De eadem gloria etiam loca EXOD. XXXIV, 6. I. et II. COR. III, 18. loquuntur. Immo hinc intelligitur, cur Spiritus ſanctus τὸ τῆς δόξης ἢ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα, *gloriae et Dei ſpiritus* dicatur 1. PETR. IV, 14. *Dei* quidem, quia a Deo patre et filio procedit ac mittitur, IOH. XV, 26. CAP. XVI, 26. *Gloriae* vero, non ſolum quia ipſi propria eſt aeterna gloria, ſed etiam, quia gloriae, qua per naturalem labem deſtituimur, Rom. III, 23. et quae in nobis reſtauratur, auctor eſt, quique Ieſum Chriſtum in credentibus δοξάζει *glorificat*, vt ſibi ſummae ducant gloriae, credere in Chriſtum. IOH. XVI, 14.

§. LVIII. Sic neque per δόξαν τοῦ Θεοῦ hic intelligi poteſt gloria, quam homines Deo impendunt, quaeque inter officia praecepti inprimis ſecundi tabulae legum diuinarum primae vulgo refertur, et δοξολογία ſeu *glorificatio* Dei adpellatur, cuiusque modus et forma in his potiſſimum actibus conſiſtit, 1) vt, quam Deus nobis dedit, intelligendi facultatem, eam contem-

plandis, cognoscendis et meditandis virtutibus ipsius impendamus, quas in operibus naturae ac gratiae, et in verbo supernaturalis suae reuelationis, clementer nobis patefecit; exemplo Christi. IOH. IV, 10. MATTH. XIII, 31. CAP. XXIV, 32. 2) vt, quas ita cognouimus virtutes Dei, eas amemus, veneremur, miremur, ac quouis modo celebremus. PSALM. CIV, 24. PSALM. VIII, 2. 4. 5. PSALM. LXXI, 14. 15. 16. 22. 23. 24. 3) vt Deum, quem in operibus suis celebramus, eundem quoque nobis proponamus in operibus nostris, nostraque agamus cum certo quodam ad ipsum adspectu PROV. III, 6. COL. III, 23. I. COR. X, 31. 4) vt, quanto euangelii doctrina omnibus placitis humanis praestat, tanto etiam sublimius vitae institutum sectemur, IOH. XIV, 8. PHIL. I, 11. II. COR. VIII, 23. 5) vt nihil nobis aegrius sit, quam diuini Numinis contemtus, PSALM. XLII, 12. paratique simus omnem, si quam habemus, aut habere possumus, nostram gloriam sacrificare Deo, et propter ipsum ignominia adfici, exemplo Christi, IOH. XVII, 4. HEBR. XII, 2. Conf. ACTOR. V, 41. II. COR. VI, 8. CAP. V, 9. et I. COR. IV, 11. 12. 13. denique 6) vt volupe nobis sit glorificari Deum, siue per nos, siue per aliuna quemcunque vtque (quia conscii nobis sumus, id per nos non satis, neque ita, vti par est, fieri,) gaudeamus, alios esse, qui nobis in subsidium veniant, et in magno hoc opere plura, quam ipsi possumus, praestent. Vidd. IO. CONR. DANNHAVVERVS in colleg. decalog. p. 356. et lact. catech. part. VII. p. 112. sq. HERM. VVITSIVS in exercitat. in orat. dominic. exercit. VIII. §. XV. sqq. p. 114. sqq. aliique.

§. LIX.

§. LIX. Potius per δόξαν τοῦ Θεοῦ Seruator hic intelligit gloriam siue honorem, qui a Deo proficiscitur, Deumque agnoscit auctorem. Inter hanc gloriam, qua Deus nos adficit, et inter eam, quam nos Deo exhibemus, ingens est differentia. Eleganter eam exponit FVLGENTIVS Afer, lib. 1. ad Monimum, qui de duplici praedestinatione, altera bonorum ad gloriam, altera malorum ad poenam agit: *Quemadmodum* ait, *non est aliud iustificare, nisi iustos facere; sic non est aliud glorificare, nisi glorioſos facere. Ideo, quando Deus nos glorificat, facit nos glorioſiores, facit honoratiores: at vero cum nos ipſum glorificamus? glorioſum dicendo, non faciendo. Proinde cum dixiſſet in pſalmo quadrageſimo nono, commate vltimo:* Sacrificium laudis honorificabit me etc. *protinus addit:* et illic iter, quo oſtendam illi ſalutare meum. Et IO. BONA opp. p. 827. inquit: *Non conſiſtit glorificatio in nouae gloriae adiectione ad eum, qui glorificatur* (qua homines Deum glorificant) *ſed in gloriae iam habitae manifeſtatione.*

§. LX. Nimirum tanta est patris caelestis erga omnes sui amantes gratia, fauor ac benignitas, vt, quamuis tum propter maiestatem suam infinitam, tum propter ingentia illa beneficia, quae ipsis, sine vllis suis meritis, ac sine vlla dignitate, cumulatim exhibet, iam naturaliter obligentur ad eum pleno ore laudandum, colendum, venerandum, et mandatis eius pie obsequendum, nihilominus variis modis nos inuitet, suauiterque pelliciat, vt officii huius recte simus memores, idemque ita, vti par est, obseruemus. Huc merito retuleris honorem, quem piis mentibus pollicetur ac praestat.

ſtat. Sic I. SAM. II, 30. dicitur: *Quicunque honorauerit* (glorificauerit) *me* (timuerit me, et iuſtitiam operatus fuerit, ACTOR. X, 35.) *eum et ego honorabo.* (glorificabo, omnisque generis honore decorabo.) Et PS. XLI, 15. *Inuocat me* (pius cum ſerio permouendi ſtudio, vt oratio eius, inſtar clamoris validi, nubes penetret) *et exaudiam eum:* (reſpondebo cum effectu, vt reipſa ſe exaudiri deprehendat) *cum ipſo ſum* ego (praeſentia gratioſa atque operoſa) *eripiam ipſum* (certe ac glorioſe, vtcunque etiam grauiter atque arcte fuerit conſtrictus) *et honore adficiam eum* (pro contemtu ac irriſione mundi, proque miſeriis et paſſionibus, quibus obſcuratus fuit tantiſper) Et PSALM. CXII, 9. *Diſpergit* (elargitur ac diſtribuit pius large et promte, etiam vbi nulla recuperandi ſpes eſt) *dedit* (ſparſim, profuſe, multoties) *egenis* (indiſcriminatim, vndecunque veniant, quocunque etiam mali genere laborent) *iuſtitia* (beneficentia) *eius* (tanquam indubius iuſtitiae fructus) *cornu ſuum exaltabit* (inſtar animalium cornutorum cunctos ſibi aduerſantes ſuperabit, fortiterque deſpiciet) *in gloria* (glorioſe ſtabit erectus atque vincet in Domino, eiusque nomine) Vid. GEIERVS in commentar. ad ll. cc. Addi omnino meretur illud Chriſti. IOH. XII, 26. *Et ſi quis mihi miniſtrauerit* (fideliter et conſtanter, neque per vllas difficultates ſe a ſequela mei abſterreri paſſus fuerit) *eum honorabit pater ille* (meus, proque leui, nec adeo longo labore largam mercedem dabit.)

§. LXI. Antequam ab hoc loco diſcedamus, iuuat vel verbo notaſſe, quod liberator noſter in eodem

dem originem honoris, quem piae mentes exſpectare iubentur, ſignanter admodum paulloque preſſius indicet, quam in noſtro quidem oraculo id factum eſſe, intelligitur. Etenim IOH. V, 44. in genere tantum pronunciauit gloriam fidelium Deo in acceptis ferendam eſſe, ſed IOH. XII, 26. eam ſpeciatim primae in concilio diuino perſonae, patri ſcilicet tribuit. Cuius rei fundamentum LAMPIVS ad h. l. e teſtamento pacis arceſſit, *in quo pater filio promiſit, illos, quos eſſet redemturus, gloriae quoque eius participes futuros eſſe.* Hoc autem fluere (porro dicit) ex vnitate filii cum patre, non morali, ſed phyſica, ab ipſomet Chriſto ſibi vindicata. IOH. X, 30. *Ego et pater vnum ſumus.* Quae verba Iudaei, cum quibus Seruatori tum res fuerat, non aliter ſunt interpretati, quam de vnitate eſſentiali patris et filii, ſiquidem ex illis anſam ceperunt *blasphemiae* crimen Domino impingendi non ſolum dictis, ſed etiam factis, lapidare eum volentes. Haec vnitas ſi non eſſet, nullum etiam eſſet teſtamentum gratiae, quia nullus eſſet ſponſor et mediator teſtamenti. Hinc etiam pater vt fons omnium benedictionum ſpiritualium ſalutatur ab Apoſtolo EPHES. I, 3. *Benedictus Deus et pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in caeleſtibus in Chriſto.* Ex eodem capite electi etiam nominantur εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς *benedicti patris*, MATTH. XXV, 34. Atque *hoc propoſitum gratiae patrem ſingularem in modum decebat*, vti ſapienter notat LAMPIVS l. c. *tum* filii cauſſa, *quem diligendo non poteſt non illos etiam diligere, qui filium honorant, ac a filio diliguntur: tum* propter ſeipſum, *quoniam, qui fidele miniſterium filio exhibent, patris praeceptis*

ſe

se obedientes praestant, quod non solum toties in prophetis per Spiritum suum proposuit, sed etiam de caelo dedit. MATTH. III, 17. Add. IDEM ad IOH. V, 23. et VI, 40.

§. LXII. Geminus autem est honor, quo Deus suos adficit, alter praesentis, alter futurae vitae. Longum nimis foret, de vtroque honore impraesentiarum ex instituto agere. Prostant hanc in rem integra volumina, a viris cordatioribus in vulgus emissa, quorum catalogum satis prolixum texuit ven. Dn. Praeses in bibliotheca theologica, quam in scriniis suis seruat. Si quid iudico, nemo tam exquisita cum industria de illustri hoc argumento tractauit, quam b. noster Lutherus, et, qui vestigiis eius fideliter institit, optimus Spenerus. Profecto, qui horum duumuirorum scripta aetatem ferentia vel obiter inspexerit, non absque summa animi voluptate leget, quam adcurate, et quam pie in eodem explicando versati fuerint. Immo vero ne in nostris quidem viribus positum est, de gloria piorum ita commentari, vti quidem dignitas rei postulat. *Vita* namque *fidelium* (quam in regno Christi viuunt) *cum Christo* (qui et ipse suo modo occultus est, vitamque fidelium, ab eius, ceu capitis membrorum, et vitis palmitum suorum, influxu pendentem, occultam tenet) *in Deo* (apud Deum, coram quo conspicua est vita gratiae, in vitam gloriae desitura atque in ea consummanda) *est abscondita* (partim mundo, partim diabolo, partim denique ipsis fidelibus.) Beatus vir, qui in hac dignitate constituitur, deque priuilegiis cum ea coniunctis ex vero gloriari potest!

§. LXIII.

§. LXIII. Ne autem nihil dixisse videamur, in compendium mittamus ea, quae de honore, quem sui amantibus praestat diuinum in caelis Numen, sacrae litterae passim nos condocent. Ad praesentem quando respicimus vitam, honor ille sine dubio consistit in sancta illa summaque existimatione, quam habent, et per quam ab infidelibus oppido distinguuntur. Existimationis fidelium dum mentionem facimus, non eam volumus intellectam, quam a mundo accipiunt homines de mundo. Praeterquam enim quod diuina sapientia vitae diuinae bona *vasis* saepe concredit *testaceis* 1. COR. 1, 26. sq. hoc est, hominibus nullius auctoritatis, vilibus, contemtis; facultates quoque mundo non cognoscendi *conuersationem* fidelium coram Deo, quae *fide* absoluitur et *charitate*, intus in animis eorum latente, atque alias quoque deprauatae carnis fallacibus iudiciis obnoxia, quae fere quidquid est istorum melancholica deliramenta pronunciant. *Dementes* nempe *fidelium vitam putant insaniam, et exitum inhonestum*, SAP. V, 5. Neque cognoscit mundus fidelium *dignitatem*, scilicet *nesciunt*, vt elegantem verborum CHRYSOSTOMI homil. LXXXII. in Ioan. huc referam sensum, *qui nos contumelia adficiunt, quales simus, vtpote qui caeli ciues, et supernae patriae adscripti et Cherubim socii*, immo adde, Dei filii, *sumus*. Istarum ergo rerum ignorantia cum laboret mundus, quomodo quaeso! agnoscere posset illos, qui earum diuina gratia facti sunt participes. Hinc vana gloriatio, et inepta, illis videtur, quidquid de honore suo deque illis dignitatis suae priuilegiis fideles dicunt: *Dei*, inquiunt naso suspenso, *cognitionem profitetur, et sese Domini*

natum ostentat, SAP. II, 13. Ex quibus denique consequitur, vt ea quoque cognitione, quam practicam dixeris, et quae adfectum importat amoris ac beneuolentiae, mundus fideles non agnoscat, contraria potius ratione odio eos habens, etad internecionem vsque insectans. Bene eam in rem AVGVSTINVS ad locum Ioannis allegatum respiciens: *Per totum mundum impii, et per totum mundum pii, illi nos non cognoscunt, quomodo putamus quia non cognoscunt? insultant bene viuentibus.*

§. LXIV. Praestantior longe sublimiorque est honor, qui fidelibus obtingit, quam quem mundus habet, quoque adseclas suos onerat. Consistit autem ille potissimum in υἱοθεσία seu adoptione diuina, cuius tanta est ὑπεροχή, dignitas ac praestantia, vt cum hac dignitate comparatum summum summorum in hoc mundo honorum fastigium vix vmbra sit, immo considerationem nostram longissime superet. Notabilis hanc in rem est locus I. IOH. III, 1. ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν. Vbi emphaticus maxime est positus, quem verbum ἴδετε hic habet ab initio sermonis seu periodi. Elegantem enim praegnantemque efficit apostrophen, qua fideles ad dignam diuinae gratiae, quae ex υἱοθεσία relucet, considerationem excitantur. Emphatica porro est significatio, quam obtinet pro idiotismo verborum notitiae; siquidem inter alia dignam aestimationem et admirationem eius inuoluit, qua omnibus huius mundibonis et dignitatibus eam longissime anteferimus. Emphaticus denique est paralleliſmus, qui est in par-

particula hebraea הִנֵּה, *ecce* et graeca ἰδού, vtraque frequentissima, singulari attentionis nota et quodam quasi Spiritus sancti asterisco, quo adposito seu praemisso, ille lectorem de re ardua, praecipuam obseruationem merente, vult monere, quemadmodum rectissime obseruat ven. IOACH. LANGIVS in exegesi h. l. Add. eiusdem capitis comma 2. Ἀγαπητοὶ νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμεν. Vbi Apostolus factam mentionem de dignitate Christianorum in υἱοθεσία positam, repetit, cumque singulari plerophoria de illo υἱοθεσίας statu loquitur, quo ipse cum fidelibus reliquis in Christo fruebatur, praeferens dignitatem illam, quam in υἱοθεσία apud Deum habebat, illi praerogatiuae, quam in munere Apostolico habebat, probe memor, se aeternae gloriae haereditatem, non ex iure Apostolatus, sed ex iure υἱοθεσίας adire. IDEM l. cit. ad h. l.

§. LXV. Modus υἱοθεσίας pro complexu suo tria praecipue continet, distincta quidem, at simul arctissime cognata. *Primum* est regeneratio siue collatio vitae spiritualis, et ex parte hominis, natiuitas spiritualis, atque adeo translatio ex statu mortis ad vitam, e tenebris ad lucem. Mediante hac regeneratione pater caelestis filiis diaboli et irae, per Spiritum sanctum, suam filiique sui mentem imprimit, quam deinceps per gratiam renouantem auget. *Secundum* est iustificatio. Qui enim regenerantur, statim etiam iustificantur, intuituque interpositi et admissi lytri propter Christum ita iusti declarantur, vt Deus ipsis iustitiam Christi fide adprehensam ad salutem imputet, simul vero iniustitiam seu peccata non imputet, sed remittat. *Tertium* est adoptio stricte sic dicta,

cta, qua Deus regenitos et iuſtificatos pro filiis ſuis reputat et habet. Quae tria ſimul fiunt, ita, vt ex illis nullum poſſit abeſſe, ſaluis reliquis. Singula vero honorem eorum, quibus haec chariſmata obtingunt, vehementer augent.

§. LXVI. Summa illa, quae in adoptione fidelium ſita eſt, dignitas manifeſtior adhuc euadit, ſi partim ad eius oppoſitum, partim ad eius conſequens reſpiciamus. Oppoſitum adoptionis eſt in miſerrimo filiorum diaboli ſtatu. MATTH. III, 7. CAP. XII, 34. CAP. XXIII, 33. IOH. VIII, 44. I. IOH. III, 8. 10. Confer de filiis irae EPHES. II, 3. *In quibus* (inter quos incredulos) *etiam nos omnes* (non tantum vos, qui ex gentilibus oriundi eſtis, et nuper ipſi gentiles fuiſtis, ſed nos etiam, qui ex Iudaeis ſumus, et olim fuimus) *aliquando* (ante conuerſionem noſtram ad Deum) *conuerſabamur* (continuo ſtudio) *in concupiſcentiis carnis noſtrae* (corruptae, quam adhuc dum, non minus ac vos, habemus) *facientes* (non tantum ſentientes, ſed obſequentes etiam promte et alacriter) *cupiditates carnis et cogitationum* (voluntatis ratiocinationes, quia non a rei euidentia, ſed a noſtra cupiditate procedunt, quae cupiditas intellectum impellit et ad conſenſum rapit, vt cauſationes inueniat, quibus ſeipſum decipiat). Conſequens vero adoptionis eſt cura Dei paterna, qua is filios adoptatos proſequitur ratione intenſionis et extenſionis ſumma, conſtantiſſima ac ſalutifera, adeo vt filiis Dei ab ipſo curatis, tanquam pupillis oculorum, nihil eorum deſit, quae ad corporis aeque ac animae conſeruationem, roborationem ac defenſionem pertinent. *Nouit* enim *pater caeleſtis*

caeleſtis, quod indigeant horum omnium, MATTH. VI, 32. Immo non nouit tantum quid filiis ſuis deſit, ſed potens etiam eſt omnibus tam abunde proſpicere, vt *ne vllo quidem bono deſtituantur*, PSALM. XXXIV, 11. Quanta haec ſit felicitas, omnium curarum vacuum eſſe, quanta porro haec ſit dignitas ipſummet Deum, qui omniſcius, qui omnipotens, qui omniſapiens, quique ipſe amor eſt, habere curatorem, is demum recte intelligit, quem prouidentia hac ſua ſpecialiſſima curaque ſanctiore Deus dignatur. Confer. ES. XLV, 15. MAL. III, 16.

§. LXVII. Sed et fructus illi locupletiſſimi, quos adoptio diuina parit, de chariſmatis huius amplitudine et dignitate luculentum praebent teſtimonium. Continet autem complexu ſuo fere ſequentia: 1) *pacem conſcientiae*, qua ea a terrentis legis fulmine, et a turbante peccati dominantis ac vulneratae conſcientiae ſenſu mortisque terrore exemta, in reconciliati Dei gratiae ſuaui guſtu adquieſcit. Omnia iam tranquilla ſunt, non aeſtuat mens, nec animus nefariis fluctibus quaſſatur, procella fugit, ſerenitas reddita. Nunc halcyonia mentis. GAL. V, 22. Solida haec et profunda eſt, ſed tamen pugnae nondum expers. In media namque pace ſpiritus bellum cum carne συνοίκῳ, cum mundo vicino, cumque Satana tenebrarum principe gerit ex lege militari ſummi noſtri Ἀρχιστρατηγοῦ. Aſſumitur πανοπλία militis Chriſtiani, quam Paulus ſeruat EPHES. VI, 10.-18. Praeſtantia huius pacis ſumma eſt. Quodſi enim philoſophi ſummum bonum poſuerunt in tranquillitate mentis, at fucata tantum, Chriſtiani ſane habebunt, de quo ſibi gratulentur.

2) *parrhesiam mentis pacatae*, seu fiduciam erga patrem caelestem laetissimam, oppositam diffidentiae, haesitationi et anxietati, qualis in hypocritarum parrhesia deprehenditur, quae demissa mente voceque salutem apud Deum quaerit. Plenior illa Deum confidenter adit sine trepidatione ac titubatione. Eiusmodi enim habemus parrhesiam, quae in nobis non quaerit centrum et elementum suum, sed in solo Deo, ideoque nunquam non ad eum fertur, apud eum subsistit, et in eo adquiescit, tanquam in placato ac benigno patre, benignitate sua fiduciam nostram magis magisque augente et alente. Conf. EPHES. III, 12. HEBR. IV, 16. CAP. X, 19. I. IOH. III, 21. 3) *amorem erga Deum tenerrimum intimumque*, qui non est adfectus quidam aut motus transitorius, multo minus imaginarius, sed propensio habitualis nunquam non in actum, in quantum humanae vitae imbecillitas permittit, erumpens', cuius sinceritas quia neque cum ἑαυτοφιλία, neque cum κοσμοφιλία consistere potest, vtriusque negationem aut νέκρωσιν vtique continet aut gignit. I. PETR. I, 8. I. IOH. IV, 19. Connexum eius est timor genuinus, hoc est, adfectus eiusmodi, in quo ad amorem peculiaris accedit respectus ad summam Numinis excellentiam, maiestatem, potentiam, et iustitiam, prouti haec ex diuina reuelatione cognoscuntur, ex quarum consideratione fideles vehementer excitantur ad honorem Deo quouis modo exhibendum, et ea omnia sedulo ac sollicite cauenda et euitanda, quae Deum vlla ratione offendere possunt. 4) *aditum ad Deum in precibus* liberrimum ac patentissimum, a parrhesia et amore stimulatum, vt homo

homo fidelis, quoties vel miseriam suam, vel bonorum praesertim spiritualium indigentiam sentit, toties sine adparatu elementorum, et praecepti carnalis, sine figuris et vmbris, sine respectu ad certum aliquem locum, certosque ritus, mentem suam ad Deum eleuet, miseriam suam coram eo explicet, et bona, quae sibi necessaria sunt, expetat, patremque caelestem sine timore, plenus fiducia filiali, inuocet, quemadmodum videmus, liberos certa fiducia aliquid a parentibus petere, de gratia Dei propter Christum pie securus. ROM. V, I. 2. CAP. VIII, 15. GAL. IV, 6. EPHES. II, 18. CAP. III, 12. HEBR. IV, 16. CAP. X, 19. 5) *pacatam mentis praesentiam et laetam in Deo adquiescentiam*, seu bonam tranquillam et laetam conscientiam, quae iuge quasi conuiuium et caelum in terra est; item ἀυτάρκεια et adquiescentia in paterna Dei cura, gubernatione ac directione, cum resignatione lubenti voluntatis nostrae in diuinam, vt voluntas Dei et nostra voluntas sit, vtque cum Christo πρωτοτόκῳ vere dicamus: Tua fiat voluntas! et eam orationis dominicae particulam tum demum recte intelligamus: *Fiat voluntas tua*, immo quouis momento paratissimi simus corpora nostra tradere ad sacrificium viuum, sanctum, Deo bene placens, tanquam λογικὴν λατρείαν, ROM. XII, I. et συμπάσχειν τῷ Χριστῷ, ROM. VIII, 17. concipientes mente κοινωνίαν τῆς δόξης μελλούσης cum Christo, IBID. Conf. MATTH. VI, 31. 32. PSALM. XXXVII, 5. LV, 23. I. COR. I, 8. 9. PHIL. IV, 6. I. PETR. V, 7. HEBR. XIII, 5. 6) *libertatem spiritualem* ab ira Dei, et ab aeterna condemnatione, ROM. V, 9. VIII, I.

HEBR.

I. THESS. I, 10. HOS. XIII, 14. IOH. VIII, 51. 52. HEBR. II, 9. II. TIM. I, 10. APOC. II, 11. a fulmine et maledictione legis moralis ACTOR. XIII, 38. 39. ROM. VIII, 3. 31. sqq. GAL. II, 19. CAP. III, 11. 12. 13. IV, 4. 5. COL. II, 14. ab eiusdem coactione, per spiritus liberi ac spiritualium virium donationem PSALM. CXIX, 32. IER. XXXI, 33. (HEBR. VIII, 10. X, 16. 17.) EZECH. XXXVI, 26. 27. I. TIM. I, 9. I. IOH. V, 3. ROM. VIII, 14. a iugo legis caeremonialis ACTOR. XIII, 39. XV, 5. 9. sqq. GAL. IV, 5. V, 1. sqq. COL. II, 14. 17. a peccato eiusque reatu ac dominio, IOH. VIII, 32. 34. 36. ROM. VI, 12. 14. sqq. I. COR. VI, 20. I. IOH. V, 4. cum libertate a vanitate huius saeculi ac conformitate cum prauorum hominum schemate ac moribus coniuncta ROM. XII, 2. GAL. I, 4. II. COR. IV, 14. I. PETR. IV, 2. 3. II. PETR. II, 19. 20. Conf. IOH. XVI, 33. a potestate Satanae, LVC. I, 74. COL. I, 13. HEBR. II, 14. 15. I. IOH. V, 18. ab auctoritatis humanae iugo in rebus ad religionem pertinentibus, MATTH. XXIII. 7) *liberum ius* in scito sanctoque ac bene ordinato rerum creatarum vsu per lapsum amissum, sed per adoptionis gratiam restitutum, GEN. I, 28. 29. I. COR. III, 21. 22. 23. I. TIM. IV, 3. 4. 5. 8) *multiplicem plerophoriam* de paterna Dei misericordia et indulgentia, ad peccandi tamen licentiam nequaquam extendenda, IER. XXXI, 20. MAL. III, 17. PS. CIII, 13. 14. IOH. XIV, 21. ROM. VIII, 35. sqq. de exauditione precum ad Deum fusarum, LVC. XI, 9. sqq. MATTH. XXI, 22. IOH. XVI, 23. I. IOH. III, 21. 22. de directione rerum omnium etiam calamitatum et tentationum

tationum ad filiorum commoda. ROM. VIII, 28. I. COR. X, 13. HEBR. XII, 6. sqq. de tutela ac praesidio Dei, etiam per bonos angelos praestito et praestando PSALM. XXXIV, 8. XCI, 11. MATTH. XVIII, 10. HEBR. I, 14. Conf. B. PHIL. IAC. SPENERI *lautere Milch des Euangelii*, qui liber plane est insignis, iusto ordine pandens omnes illos thesauros, quos fideles in Christo habent ac possident. IOACH. LANGIVS in exeg. epp. Ioh. speciatim cap. III. comm. I. §. IV. p. 370. sqq. et causae Dei tom. III. lib. I. part. II. cap. III. membr. I. subsect. I, artic. I. et sqq. p. 690. sqq. et oeconom. salut. euang. membr. VII. artic. III. p. 380. sqq.

§. LXVIII. Non mediocriter gloria fidelium in hac vita augetur per vnionem mysticam, quae Deum inter et ipsos intercedit. Consistit illa in arctissima Dei triunius ac animae fidelis coniunctione, qua ipse Deus est in homine, in ipso quasi habitans modo ineffabili, et in illo quam efficacissime operans, tanquam in officina sua; et qua homo est in Deo, ita vt in eo subinde maiori beatitate sua fruatur, intima communione sic constituta. EZECH. XXXVII, 26. 27. IOH. XIV, 23. I. COR. III, 16. II. COR. VI, 16. ROM. VIII, 9. II. APOC. III, 20. XIX, 7. 8. XXI, 2. 9. etc. Describitur etiam per desponsationem credentium cum Christo HOS. II, 19. 20. vnde et Christus subinde sponsi nomine venit, quo sub schemate totum hocce mysterium PSALM. XLV. et in Cantico Canticorum delineatur, itemque per coniugium Christi et ecclesiae EPHES. V, 32. per coniunctionem capitis et membrorum EPHES. I, 22. 23. IV, 16. COL. II, 19. Paulus quoque diserte vnionem seu coniunctionem

cum Domino vocat. I. COR. VI, 17. Continet vero vnionis ſtatus inhabitationem, nec non communicationem et communionem. Per *iſtam* Deus triunus hominem regenitum et iuſtificatum, tanquam templum ſuum, per poenitentiam ipſamque regenerationem digne praeparatum, et per vnionis actum occupatum incolit et excolit, ſeu ſuis gratiae donis inſtruit atque exornat, fixa in eo manſione ſtabilita. Per *illam* vero gratiae ſuae dona homini inhabitato quam largiſſime impertit. Inprimis Chriſtus eidem communicat paſſiones ſuas, ſuamque mortem, ſuam reſurrectionem, ſuam vitam, ſuam potentiam, ſuam victoriam, ſuam iuſtitiam etc. immo fidelibus fit *omnia in omnibus* COL. III, 11. vtpote qui *e plenitudine eius accipiunt gratiam pro gratia*, IOH. I, 16. hinc *impleti ad omnem Dei plenitudinem*. EPHES. III, 19. quae in Chriſto habitat σωματικῶς, COL. I, 19. II, 9. Cumque communicatio ſit reciproca ſeu mutua, Chriſtus, quae fidelium ſunt, etiam ſua facit, (ipſorum locum ſuſtinens) nempe noſtra peccata, noſtrasque infirmitates omnes, *factus* quidpe *pro nobis maledictio*, GAL. III, 13. noſtram ſortem et adflictiones etc. Per *hanc* denique fidelis collocatur in beata fruitione Dei, quae habet vitae aeternae praeguſtum, et in ſe ipſa eſt vita aeterna ſeu vita gratiae, in qua vita gloriae ſuam habet radicem, ſua ſemina, ſuas primitias. Mirum igitur non eſt, fideles iam tum in hac vita paſſim *beatos* praedicari, praeſertim MATTH. V, 3. ſqq. Honor, qui per multiplicata haec chariſmata fidelibus adcreſcit, ſummus profecto eſt, omnemque captum humanum longiſſime ſuperat, ita vt eo nihil poſſit eſſe praeſtantius, excellentiusque. Enimuero

uero nonnisi ab iis, qui in eo constituti sunt, recte intelligitur, adeoque merito *mystica* seu arcana dicitur haec vnio. Conf. I. COR. II, 7. Add. Scriptores antea laudati.

§. LXIX. Complexus omnium, quae modo enumerauimus, charismatum est vnctio. Vncti nimirum sunt fideles oleo laetitiae, hoc est, donis Spiritus sancti aeque ac ipse Christus, sed eo, qui ipsis conueniebat modo, nam Christus maiori copia eminentiorique quadam ratione a Deo fuit vnctus, PSALM. XLV, 8. Quidquid charismatum fideles possident, id omne debent huic vnctioni. Conf. I. IOH. II, 20. 27. II. COR. I, 21. 22. HEBR. I, 9. Hinc decus suum maximumque ornamentum reputant, quod istis ornati sint donis, quibus regi ac sponso suo placere possunt. PS. XLV, 12. 14. Vncti autem sunt in prophetas IOEL. III, 1. 2. coll. ACTOR. II, 17. in sacerdotes I. PETR. II, 9. APOC. I, 6. et in reges l. cit. Quae cum ita se habeant, nescio sane, an maior gloria ac maiestas, quam fidelium, in his terris detur? eiusdem cum Christo vnctionis participem esse factum, immo in munerum eius, prophetici, sacerdotalis atque regii consortium venire, summum profecto decus ac ornamentum est, quod nemo temere inficias ibit. Merito ergo GREGORIVS NYSSENVS contra Apollinarem tom. III. p. 261. fidelium Christi discipulorum nomen μέγα καὶ σεβάσμιον *magnum et venerabile* vocauit, et GREGORIVS NAZIANZENVS orat. XX. p. 331: ἡμῖν μέγα πρᾶγμα καὶ ὄνομα, Χριστιανοὺς καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, *nobis magna res, et magnum nomen est, quod Christiani et sumus et nominamur*. Tam honorificum igitur nomen Christianorum, sed verorum, sed no-

mine et re talium veteribus visum, vt summam in eo gloriam quaererent. Quod vel LVCIANI, nobilis istius sub Diocletiano imperatore martyris exemplo constat, qui ad propositas sibi quaestiones varias nihil aliud respondit, quam χριστιανός εἰμι, *Christianus sum*, apud CHRYSOSTOMVM homil. LXXV. tom. V. opp. p. 532. Interrogatus: ποίας εἰ πατρίδος; χριστιανός εἰμι, φησί· τὴν ἔχεις ἐπιτήδευμα; χριστιανός εἰμι· τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαντα ἔλεγεν, ὅτι χριστιανός εἰμι. *Qua ex patria ortus es? Christianus sum, ait. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus maioribus? Ille vero ad omnia dicebat: Christianus sum.* Similia de aliis etiam narrant annalium ecclesiasticorum conditores. De Caesareo fratre suo GREGORIVS NAZIANZENVS orat. X. p. 166. πολλῶν καὶ μεγάλων ὑπαρχόντων αὐτῷ, πρῶτον ἦν εἰς ἀξίωμα, χριστιανὸν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, καὶ πάντα ὁμοῦ παιδία τις ἐκείνῳ καὶ λῆρος, πρὸς ἓν τοῦτο κρινόμενα, *cum multa et magna ipsi suppeterent, ad dignitatem tamen hoc primum erat, quod Christianus et esset et nominaretur, sic, vt alia omnia cum hoc vno collata, ludus quidam ac nugae ipsi essent.* Conf. IO. FRANC. BVDDEI diss. de orig. dignitat. et vsu nomin. Christian. §. XXVII.

§. LXX. Illustris est obseruatio NIC. SELNECCERI, DAV. RVNGII et SEB. SCHMIDTII in comm. ad ROM. III, 23. nec non MART. CHEMNITII de peccato orig. cap. I. §. II. quod Paulus l. cit. primaeuam imaginem *gloriam Dei* adpellet, qua omnes careant. Conf. I. COR. XI, 7. et II. COR. III, 7. 18. Optime enim hoc nomen eidem congruit, siquidem non tantum δόξα aliqua fuit, et insignis quidem, sed etiam δόξα θεοῦ, *gloria Dei*, quod partim a Deo data; partim fuerit gloria Dei in imagine creata communicata, atque adeo in relatione

latione similitudinis alicuius πρὸς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ *ad gloriam Dei*, iuxta quam homini concessa est. Haec imago Dei magna fuit perfectio in homine, quae vbi ablata est, ὕστεροι posteriores facti sunt, et a perfectione illa longissime absunt. Nimirum homines, quum habuerunt imaginem Dei, habuerunt iustitiam propriam, per quam Deo placuerunt, et per quam apud Deum iustificari potuerunt: qua imagine Dei dum nunc destituuntur, non habent, vnde iustificentur, sed dum iustificantur, necesse est, eos gratis, gratia per redemtionem Iesu Christi parta, iustificari. Iam in illis, qui vere in Christum credunt, imago diuina suo modo instauratur, igitur δόξαν etiam illam, quam Adamus adhuc integer in gradu excellenti habuit, quodammodo recipiunt, adeoque vere glorioſi fiunt.

§. LXXI. Intuitu tam illustrium charismatum et tam excellentium qualitatum in vere fidelibus conspicuarum honorificis admodum titulis hinc inde in Scriptura sacra ornantur, ad quos qui debita cum cura attendit, is non potest non in summam rapi admirationem, et tantum non obstupescere ad tam glorioſas eorundem descriptiones. Sic dicuntur συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ *conciues sanctorum et domestici Dei.* EPHES. II, 19. Ciuitatis sanctae incolae, hoc est libere in omnibus coetibus eius congregationibusque comparentes, a nullo iure vllius ciuis excluſi, quibus intima domus Dei patent, quique omnibus priuilegiis et immunitatibus gaudent, quae ciuium et domesticorum propriae esse solent. Dicuntur *sponsa Dei Christique* PS. XLV, 10. CANT. IV, 8. 9. II. V, 1. IEREM. II, 2.

APOC. XVIII, 23. XXI, 2. 9. XXII, 17. Pie b. SEB. SCHMIDTIVS in diss. de desponsatione fidelium cum Christo sect. III. §. II. p. 30. sq. hac de re scribit: *Cape*, inquit, *dignitatem tuam fidelis anima, caelestis illa copula est, qua constricta teneris. Non inuidemus Estherae superba Ahasueri connubia, ille amor est, vbi sponsus Rex regum et Dominus dominantium audit. Haec est Christianorum felicitas, et maior quidem illa, quam vt cogitando, nedum dicendo adsequi possimus. Deus ille sponsus est*, quid non speremus amantes? *Benignus est, et quae vota implere nollet? Amantissimus hominum est, et qui sponsae suae poterit obliuisci? Fidem nobis aeterni vinculi dedit, eam ergo non fallet, aut sponsae repudium mittet. Quin potius certo cum Paulo persuasi esse possumus, fore, vt nobis hoc quoque depositum nostrum vsque ad nouissimum diem custodiat*, II. TIM. I, 12. Dicuntur *corona in vola Domini*, ES. LXII, 3. hoc est, res Deo longe carissima et pretiosissima, quam ipse ad decus et ornamentum suum pertinere censet, et licet plures sint, qui eam tentent, petant, et intercipere conentur, vt Deum hoc ornatu spolient, Deus tamen eam manu sua et vola sua omnipotente fortiter retinet, ne quis hoc decus sibi eripiat. Dicuntur *regale sacerdotium*. I. PETR. II, 5. 9. APOC. I, 6. CAP. V, 10. ROM. XII, I. HEBR. XIII, 15. 16. CAP. IV. 15. 16. Quem enim Christus summus sacerdos atque rex spiritu suo sancto vngit sacerdotem, ad offerandas Deo hostias spirituales, illum eo ipso etiam vngit et constituit regem, hostibus spiritualibus, satana, mundo et peccato superiorem, deque iis ex accepta gratia triumphantem, saltem post plenam victoriam, seu victricem huius vitae pugnam, aeternum triumphaturum.

rum. Et quamuis dignitas haec fidelium regia in sensus non incurrat externe, nihilo tamen minus vera est ac solida. Dicuntur ναὸς Θεοῦ *templum Dei* 1. COR. III, 16. 17. II. COR. VI, 16. in quo tota sacrosancta Trinitas habitat, IOH. XIV, 23. intimeque, familiariter et constanter praesens operatur sanctas operationes ad cultum spiritualem pertinentes, in testificationem amoris sui plusquam paterni erga ipsos, ad gloriam maiestatis suae. Vbi enim τὸ πνεῦμα Θεοῦ, cuius hic fit mentio, ἐκεῖ, ibi tota sacrosancta Trinitas ἐκεῖ. Tacemus plura eiusmodi nomina, quibus insignes illae praerogatiuae, quas fideles prae infidelibus habent, verbis admodum emphaticis exprimuntur.

§. LXXII. Quos Deus honorat, hos angeli etiam boni caelitesque honorare solent, quia opus Dei in illis agnoscunt. Qui Iohanni adparuit angelus APOC. XIX, 10. tanta fulgebat maiestate, et ab eo tam praeclaras apostolus accipiebat institutiones, vt existimaret, officii esse sui, illum summo reuerentiae et honoris gestu externo venerari; quod fecit, vbi se ad pedes eius humi prostrauit. Enimuero interceſſit angelus et palam edixit, nec sibi, nec personae Iohannis conuenire, vt eo ritu semet veneraretur, qui honori sibi duceret esse eius *conseruum*. Id enim sibi vult, vbi ait: *Conseruus sum tuus, et fratrum tuorum, qui habent testimonium Iesu*, hoc est Apostolorum, quos Dominus suae doctrinae et gestorum in his terris reliquit testes, non exclusis tamen fidelibus aliis, doctrinae Apostolorum inhaerentibus. Confirmat id angelus in verbis immediate sequentibus: *nam testimonium Iesu est spiritus prophetiae*, quo-

quorum haec est sententia: *Idem ille spiritus qui loquitur agitque per eos, qui praedicant testimonium Iesu Christi* (quod agebant Apostoli) *idem ipse est, qui per me loquitur, qui missus sum a Domino, vt res venturi temporis tibi declararem.* Tanta itaque tua, quanta mea est dignitas, sumusque adeo *conserui*, ad officia non disparis honoris et gradus a Domino adpellati; tu quidem, vt dicta et gesta Domini, de quibus testari poteris apud populos, vbique praedices, ad id instructus donis Spiritus sancti; ego vero, vt quae ab eodem *Spiritu* accepi de rebus futuri temporis, quae idem regnum Christi spectant, tecum et per te cum ecclesiis communicem, CAMP. VITRINGA in anacr. apoc. ad h. l. Add. APOC. XXII, 9. vbi vel in eodem, vel in nouo casu angelus recusat officium a Iohanne sibi praestandum; neque se vult ab Apostolo tractari vt superiorem, sed vt parem, non vt dominum, sed vt eiusdem domini *conseruum*. Parem vero esse praestantissimis caelestis aulae angelis, ingens sane dignitas est, ingensque honor.

§. LXXIII. Sed et homines pii alios penes se pios venerantur et colunt, non quidem externis gesticulationibus, aut vanis compellationibus, qui vanorum hominum mos esse solet, verum interiori adfectu et aestimatione. Psaltes regius Deum, tanquam doctorem optimum interrogans, quaenam sint requisita ciuis seu inquilini caelestis? vel quomodo aliquis vitam actionesque suas ita disponere debeat, vt digne coram facie diuina ambulet, inque templo vel sacris eius constanter atque ad beneplacitum diui-

num

num perseuerare possit? eiusmodi responsum per Spiritum suum obtinet, in quo inter alia bene multa requisita comm. 4. etiam sequens ponitur: *contemtus* (scil. est,) *in oculis eius reprobatus*, hoc est, (vti b. GEIERVS in comment. ad h. l. explicat) impius, qui coram Deo, ob prauitatem suam, est reprobatus, vtut alias coram mundo extollatur aut splendeat, in oculis tamen pii pro nihilo reputatur; hic non solum mente sua ipsum parui pendit, sed et externis gestibus parum reueretur, honorat aut formidat, non quidem prout auctoritate pollet publica, sed prouti impius est, ne armetur aut insolescat magis etc. *timentes* (i. e. qui Deum recte colunt: timor enim Dei totum Dei cultum synecdochice complectitur) *honorabit*, (h. e. honorare solet; eos in animo suo magni aestimando, ac dein verbis factisque exterius honorifice tractando, inseruiendo, obtemperando, etc.) Sensus est, pium nil praeter veram pietatem magnifacere; cetera siue adsint opes, honor, sapientia, vel aliud quid splendoris mundani, hoc ab ipso attendi parum. In eundem sensum b. noster LVTHERVS in exposit. oraculi huius tom. II. Isleb. f. 56. b. et f. 57. a. et tom. v. Altenb. p. 453. a. b. scribit: *Das ist der schönste Vers. Denn der Gerechte ist kein Ansehen der Personen. Die Wiedersacher aber stehen gantz vnd gar ob dem Ansehen der Personen. Ob einer gleich ein böser Bube ist, ist er mächtig, wolan so hoffiret man ihm, aber der Gottesfürchtige siehet nicht an, wie heilig, gelehrt, reich, mächtig einer ist. Saget schlecht also, thut H. G. auch das? damit er das Wort in Achtung behalte: vnd seinen Nächsten nicht beleidige. Siehet er die Tugend an ihm, so ehret er ihn, vnd ob er gleich ein Bettler wäre, siehet er sie nicht an ihm, so hält*

er ihn als einen böſen Menſchen für nichts, ſagets ihm, ſtraffet ihn. Du verachteſt, ſpricht er, Gottes Wort, du ſchmäheſt deinen Nächſten, darum will ich mit dir vnuerworren ſeyn. Zu der Tugend muß einer viel zuſetzen, vnd wagen Leib vnd Gut, wie vnſer frommer Churfürſt, weil er ſich ſo gar von den andern abſondert der Leere halben. So ſagt nu der Pſalm, ein ſolcher Mann ſiehet nicht an die Perſon, ob er reich oder arm ſey, ſondern ſiehet ſchlechts auf das Gebot Gottes. Denn er weiß, daß es ihm vnſer Herr Gott wohl vergelten kan. Atqui ab his, qui recti et incorrupti iudicii ſunt, honorari, verus demum honor eſt.

§. LXXIV. Quid? quod mundus ipſe et iurati caeteroquin veritatis, quae ſecundum pietatem eſt, hoſtes interdum vel inuiti propugnatores ac ſectatores eius honorare, colere ac venerari coguntur. Tanta nimirum eſt virtutis praeſtantia, tantusque ſplendor, vt ſceleratiſſimorum quoque hominum animos ſaepe percellat, et prorſus in ſui admirationem rapiat. Eſt in piis conſtans et ſerium ſtudium, ſe in omnibus ad voluntatem Numinis componendi, ſiue praecipiat aliquid, ſiue vetet, procul omni dolo, prauaque intentione, nihilque aliud, quam gloriam Dei, aliorumque ſalutem, omni commodorum temporalium intuitu procul remoto, quaerere. Ea res non poteſt non Deo gratiſſima eſſe acceptiſſimaque, hinc omnis generis benedictionibus eos cumulat, vt cuncta, quae faciunt, proſpere eueniant, ipſaque mala, ab hoſtibus vel intentata, vel reapſe illata, ad bonum illis cedant, iuxta vulgatum: *felix actionum ſucceſſus ſincerae pietatis fructus eſt.* Conf. et 1. TIM. IV, 8. Incurrunt haec in ſenſus hominum de mundo, ſic, vt neque negare, neque in dubium vocare queant geſta Dei per

pios.

pios. Itaque in tantum saepe stuporem adducuntur, vt vel prorsus obmutescere manumque de tabula tollere, vel sublimiorem potentiam agnoscere, inque laudes eorum, per et propter quos supremo Numini opera tam mirabilia perficere placet, ire non raro cogantur. Prostant exempla, eaque bene multa, quibus infensissimi alias boni rectique hostes, quando glorioſam causſae populi Dei assertionem ac demonstrationem obseruarunt, inprimis vero quando patientiam, constantiam, animique magnitudinem, medias etiam inter persecutiones ipsamque mortem ignominiosissimam crudelissimamque a sanctis animabus demonstratam, coram intuiti sunt, talesque adeo se praebuerunt vbique, quales alios esse voluerunt, mirificis eas laudibus celebrauerunt, et vel veritati victas dare manus, vel optima saltem quaeque de eorum fide, vita ac moribus sentire iustum et aequum duxerunt. Testem aduocamus C. Plinium Caecilium Secundum, Plinii, naturalis historiae conditoris, ex sorore nepotem, (quem iuniorem vulgo adpellant) tunc temporis a Traiano legatum pro Praetore, sed Consulari potestate, in Pontum et Bithyniam missum, non autem Bythiniae Proconsulem, quod vult Baronius in annalib. eccles. ad ann. CIV, I. prolixe hinc refutatus a Petito in diatr. de iure Principum edictis ecclesiae quaesito, cap. IV, 15. Is immensa Christianorum, quos in prouincia inuenerat, multitudine permotus, et tot hominum carnificinam exhorrescens, praesertim cum praeter nudam nominis Christiani professionem nihil in illis reperiret, quod iure damnaret, in re tanti momenti non pro lubitu agere voluit, sed quid facto

opus esset, Traianum Imperatorem per epistolam consuluit, quae inter epistolas Plinianas, ad Traianum datas, hodieque exstat, et decimo libro comprehenditur, numero XCVII. valdeque memorabilis est, et in tota antiquitate ecclesiastica celeberrima. In ea vero non modo de horrendis calumniis, quibus veteres impetiti Christiani, de peruersa et iniqua ratione agendi cum iisdem in iudiciis, deque variis technis, quibus ad ἀποστασίαν sollicitati piorum animi; sed etiam de incredibili confessorum in tolerandis pro fide cruciatibus constantia, moriendique alacritate; de Christianismi inter medios persecutionum turbines, vbi nec aetati, nex sexui, nec vlli parceretur ordini, propagatione et dilatatione miranda; de conuentibus primaeuorum Christianorum nocturnis, et quomodo in iis Christum tanquam Deum suum coluerint, laudibusque celebrauerint; de vita denique fidelium, ex ipsorummet apostatarum confessione, sancta et innocua, aliisque huc facientibus prolixe differit. Commentati sunt in hanc epistolam Franc. Balduinus apud Cunr. Rittershusium in opusculo de optimo principe Traiano, Gerh. Io. Vossius opp. tom. IV. p. 54. sqq. et Christ. Kortholtus, Kilon. 1674. Euoluantur etiam PSALM. CXLIX, 6.-9. IES. XLIX, 23. CAP. LX, 14. aliaque Scripturae loca, hanc veritatem mirifice confirmantia.

§. LXXV. Neque cum morte piorum interit honor, quem in vita sua habuerunt. Quodsi enim offendicula post mortem durant, cur non potius boni nominis integraeque vitae laus ac pretium post mortem dura-

duraret? Ex vero pronunciauit Propheta regius PS. CXII, 6. *In memoria perpetua eſt iuſtus*, h. e. bonam poſt ſe diuturnamque apud bonos relinquit famam, vti e diuerſo impiorum recordatio eſt exſecrabilis et maledicta. Quaerit b. LVTHERVS in expoſit h. l. *Wie gehet das zu?* et reſpondet: *Alſo: Wenn ſchon die Leute des Gerechten vergeſſen, ſo vergiſſet doch Gott ſeiner nicht. Habel der erſte Märterer ward jämmerlich ermordet von ſeinen eigenen Bruder Kain. Da nun Kain ſicher dahin gieng, kümmerte ſich nichts drumb, ja ſchlugs in Wind, wollt auch nichts dauon wiſſen, weil er heimlich dieſen Mord begangen hatte, gedachte, Niemand hats geſehen, ſo kans mein Bruder nicht nachſagen, denn er iſt todt, reget weder Hände noch Füſſe, kan weder reden noch ſehen, ſo kans auch ſonſt Niemand nachſagen. Wolte alſo ſeines Bruders gar vergeſſen, Gott aber vergas ſeiner nicht, für dem war er nicht todt, ja er ward erſt recht lebendig, vnd bleibt bekandt in aller Welt, bis ans Ende. Kain kunte ſich kaum vmſehen, da hört er eine Stimme, die ſprach zu ihm: Wo iſt dein Bruder Habel? Er aber ſprach: Ich weiß nicht, ſoll ich meines Bruders Hüter ſeyn? Da ward Habel erſt lebendig vnd in aller Welt gerühmet vnd gepreiſet. Wiederum wird Kain die gantze Welt zu enge, vm des einigen Worts willen, das Gott zu ihm ſprach: Wo iſt dein Bruder? Was haſt du gethan? Denn Gott nimmt ſich des Habels an, als wäre er ſelbſt Habel, vnd ſpricht: Die Stimme deines Bruders Blut ſchreiet zu mir von der Erden. Wie nun Gott allenthalben iſt, vnd alle Dinge erfüllet, alſo muß Habel auch bekandt werden, vnd wird ſeiner, wie hie die Wort lauten, nimmermehr vergeſſen, vnd bleibt ſein Gedächtniß ewiglich. Alſo gieng es dem Habel, Kain ſprach, er ſoll ſterben, ſo ſpricht*

Gott er ſoll leben, vnd ſolt es dem Teufel leid ſeyn. Du haſt ihm aus dem vergänglichen Leben bracht in das vnuergängliche Leben. Alſo gehet es allen rechtſchaffenen Chriſten, die Welt will ſie nicht leiden, ſondern alle hinrichten vnd vertilgen, vnd wenn ſie ſie ermordet hat, werden ſie erſt recht lebendig, wie man ſiehet an allen Propheten, Apoſteln, Märterern, ia an Chriſto ſelbs, weil ſie lebten, muſten ſie Gottesläſterer vnd Aufrührer ſeyn, biß ſie ſie alle aufs iämmerlichſte hingerichtet hatte, hernach wurden ſie von den Kindern derer, die ſie kurtz zuvor verfolget, geläſtert, zerkert vnd erwürget, gelobet vnd gepreiſet. Alſo giengs mit Iohannes Hus auch, er ward im Concilio zu Coſtnitz als ein Ketzer verdampt vnd verbrand, da man zehlet 1416. vnd andere fromme Männer mehr, als Hieronymus von Praga, aber Gott vergiſt ihrer nicht, ſie müſſen herfur, ia der Bapſt ſelber mus ſie ausſchreien in der Bulla am grünen Donnerſtag. - - Iohannes Hus hätte es nimmer können dahin bringen bey ſeinem Leben, daß ſein Name bekandt wäre worden an allen Orten. Nun aber ſo er geſtorben iſt, ſinget vnd ſaget man von ihm, fromme Hertzen loben ſeine Bekäntniß vnd Beſtändigkeit, Heuchler aber ſchelten ihn als wie einen Ketzer, wie S. Paulus ſagt von ſich vnd den andern Apoſteln: VVir ſind ein guter Geruch Chriſti, beyde vnter denen die ſeelig vnd verlohren werden, dieſen ein Geruch des Todes zum Tode, ienen aber ein Geruch des Lebens zum Leben. Patri Dauidi ſuccinit filius Salomo PROV. x, 7. inquiens: *Memoria iuſti eſt in benedictione*, hoc eſt, (vti denuo b. GEIERVS in commentar. ad h. l. explicat) perſeuerat adhuc in iuſtitiae ſalutaribus effectibus vel adiunctis, vt ſenſus ſit: iuſtum v. g. Dei miniſtrum, principem, patrem familias, etc. vtcunque cum eius vita terminari videantur vniuerſa, non tamen

men manere, etiam post mortem, sine praemio, quidpe apud posteros vigere eius recordationem, vt subinde virtutum eius beneque gestorum faciant mentionem, sicuti plerumque tum demum nostra intelligimus bona, quando amisimus. Atque haec memoratio erit *in benedictione*, h. e. apud omnes bene audiet et laudabitur: extollere enim solemus defunctorum pietatem, benignitatem, fortitudinem, etc. Huc illud Poetae:

- - *Viuit post funera virtus.*

Pulchre HORATIVS lib. III. Od. XXIV.

Virtutem incolumem odimus; sublatam ex oculis quaerimus inuidi.

Et PROPERTIVS lib. III. eleg. I.

At mihi quod viuo detraxerat inuida turba,
Post obitum duplici foenore reddet honor:
Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exsequiis nomen in ora venit.

Vel sola Prophetarum, Apostolorum et Martyrum exempla id ipsum satis comprobant, qui, dum viuerent, καθάρματα erant, nunc vero sepulchris, aliisque modis mire glorificantur.

§. LXXVI. Quando Christus fidelium vita manifestabitur, tum ipsi quoque fideles cum eo manifestabuntur ἐν δόξῃ *in gloria*, COL. III, 4. Christi autem manifestatio haud dubie est manifestatio eius in aduentu ad iudicium, qui perpetua Scripturae obseruatione, nobis ita delineatur, quod sit futurus ἐν δόξῃ *in gloria*. Scilicet venturus est filius hominis ἐν δόξῃ *in gloria patris sui, cum angelis suis, et tum retribuet vnicuique secundum opera sua*. Vnde etiam aduentus ille ad iudici-

iudicium ἀποκάλυψις τῆς δόξης αὐτοῦ *manifestatio gloriae eius* vocatur, et ἐπιφάνεια τῆς δόξης αὐτοῦ *apparitio gloriae eius*. Conf. MATTH. XVI, 27. CAP. XXIV, 30. CAP. XXV, 31. MARC. VIII, 38. LVC. IX, 26. TIT. II, 13. I. PETR. IV, 13. sicque adeo cum Christo fideles etiam manifestabuntur ἐν δόξῃ *in gloria*. Huc referimus 1) *raptum eorum in nubes, in occursum Domini*. I. THESS. IV, 17. Nempe cum piis antea mortuis, sed iam resuscitatis, et per resuscitationem glorioſa corpora adeptis, pii superstites, per subitam mutationem, paribus gloriae donis exornati, Domino e caelis venienti obuiam versus caelum, in aere, de terra ferentur, iuxta illud PRVDENTII hymno X. ad defunctorum exsequias:

Quae pigra cadauera pridem
Tumulo putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.

De solis autem fidelibus, et quod ipsis hic honor obuenturus sit, in hoc et seq. v. agi, vel inde patet, quod subiecti loco ponantur *mortui in Domino*, per quos eos duntaxat intelligi debere, qui relicta mundi colluuie, vera in Christum fide decesserunt, per se manifestum est. Huc referimus 2) *separationem fidelium ab infidelibus*, MATTH. XXV, 32. qua oues quidem ad dextram pastoris sui, hoedi vero ad sinistram eius collocabuntur. Docet AMBROSIVS serm. LXI. qui est de Pentecoste, et cum eo HIERONYMVS in cap. I. ep. ad Ephes. *dextram apud omnes populos honoratiorem sinistra haberi*. Merito igitur a dextris collocandi erunt, qui summi honoris a iudice participes erunt faciendi. Huc referimus 3) *dignitatem iudicandi*, qua fidelibus, speciatim Apostolis

I. COR.

I. COR. VI, 2. 3. et MATTH. XIX, 28. itemque LVC. XXII, 29. 30. promittitur et competere poteſt. Per hanc iuxta Chriſtum iudicem in maieſtate maxima conſpicuum adſiſtent; ſiue etiam, vt eſt APOC. III, 21. in throno ipſius vnacum ipſo ſedebunt; proximo, vt vero ſimile eſt, loco Apoſtoli, qui actionum eius, paſſionis, reſurrectionis et adſcenſionis fuere teſtes. LVC. XXIV, 48. ACTOR. I, 8. II, 32. III, 15. V, 32. X, 39. Inde Patriarchae, Prophetae, martyres, confeſſores, doctores. Hinc ceteri fideles, quisque ſuo ordine et loco: vt ſint forte in nubibus quaſi tabulata vel ſubſellia, ſicut in amphitheatris, alia aliis elatiora, veluti b. GE. CALIXTVS in libro de ſupremo iudicio. p. 86. loqui amat. Ad hunc itaque modum ſublimes dextraeque iudicis adſiſtentes eminentiae iudiciariae etiam ipſi conſortes erunt, et tamquam iudicii adſeſſores mundum et impios homines, quin malos quoque angelos ima tenentes, et in loco reorum ad ſiniſtram conſtitutos, iudicabunt et condemnabunt. Verbo: iudicabit tota Trinitas per auctoritatem et poteſtatem: Filius in adſpectabili ſpecie, quae iudicis ſunt, peraget. Hi proprii iudicandi modi. Superſunt improprii per comparationem, per adprobationem, et per adſimilationem: quorum poſtremus cum ſumma gloria eſt coniunctus, et eminentiam Apoſtolis ac fidelibus promiſſam implere idoneus. Conf. IO. GERHARDVS LL. theol. tom. IX. artic. XXXI. §. XLII. ſq. p. 102. ſqq. Huc referimus 4) *blandam eorum inuitationem.* Δεῦτε *adeſte, venite.* Eſt hoc aduerbium hortantis ſimul et adcerſentis. Significatur ergo iuxta laudatum GERHARDVM harm. euangel. tom. II. cap. CLXV. p. 893. ſq. *quod Chriſtus iudex amico vultu*

vultu ac verbis blandis, cum singulari quadam amoris et beneuolentiae significatione electos sit compellaturus, eosque ad se inuitaturus. Vocat ad se, quia vult regni et gloriae suae eos participes reddere, iuxta suam promissionem Ioh. 12, 26. ac loquitur quasi mox in caelum, e quo descenderat, rediturus, inuitans ipsos, vt se Regem suum sequantur. Venite *oues ad pastorem, discipuli ad magistrum, filii ad parentem, fratres ad fratrem, sponsa ad sponsum, subditi ad Regem, aquilae ad corpus, immo membra ad caput.* Venite *e tenebris ad lucem, ex procelloso mari in tranquillum portum, ex bello ad triumphum, ex labore ad requiem, ex seruitute et captiuitate ad libertatem, ex tristi exsilio in patriam, ex tugurio in aulam regalem, ex societate malorum in consortium angelorum et beatorum, ex terris in caelum, ex morte in vitam, ex ignominia in gloriam sempiternam,* etc. Huc referimus 5.) *amicam eorum compellationem* MATTH. l. c. comm. 34. *Benedicti patris mei.* Iuxta eundem GERHARDVM plura haec phrasis complectitur, scilicet quod promissum benedictum semen mulieris vera et perseuerante fide fuerint amplexi, et per illud a maledictione legis liberati, benedictionisque a Deo participes facti; quod propter Messiam, vtpote dilectum Dei filium, ipsi quoque Deo sint peculiariter grati atque accepti; quod in hoc benedicto semine electi fuerint ad vitam aeternam ante iacta mundi fundamenta; quod Deus non solum ab aeterno eos in Christo ad vitam aeternam elegerit, sed etiam in tempore benedixerit omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo; quod denique in hoc mundo hactenus pro contemtis et maledictis habiti fuerint, iam vero publice coram omnibus esse demonstrandum, quod sint electi ac dilecti Dei filii,

filii, in aeternae haereditatis possessionem immittendi. Huc referimus 6) *regni caelestis traditionem. Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* MATTH. l. c. Perquam glorioſa et iucunda haec est adpellatio. *Quid enim regno augustius, magnificentius, iucundius ac gloriosius excogitari potest?* inquit GERHARDVS l. c. p. 895. *Sed quid omnia mundi regna aestimanda ad caeleste illud regnum, in quo electi abolitis omnibus hostibus, diabolo, morte, peccato, mundo, inferno, etc. in summa et ineffabili gloria cum Christo regnabunt? Hoc regnum non amplius tunc habebunt in spe, sed possidebunt in re, nec quaedam duntaxat illius bona, sed totum regnum possidebunt, tanquam reges spirituales.* Denique 7) huc referimus *honorificum testimonium* benefactis et operibus charitatis ipsorum a Deo perhibendum MATTH. l. c. v. 35. sqq. Miraris forte fidem hoc loco non exprimi a Seruatore, sed mirari desines, si cogitaueris, quod partim docere velit quanti momenti sint beneficia pauperibus praestita, scilicet quod habeat quasi sibimetipsi exhibita, vt proinde pauperibus dare, idem sit quod dare Christo; partim, quod etiamsi vera fides et opera charitatis indiuiduo nexu cohaereant, illa tamen ex se soli Deo sit perspecta, et in cognitionem hominum non nisi per ista veniat. Ista igitur commemorantur, quod innotuerint, et praesto sint ipsi, quos fratres suos nominat Seruator, quibus aliquando exhibita fuerunt: qui rem ita prorsus se habere vltro agnoscent, & totam suo calculo et testimonio comprobabunt, hacque sua adprobatione et testimonio publico benefactores suos *in aeterna tabernacula recipient.* LVC. XVI, 9. id est, dignos esse, qui recipiantur, coram supremo iudice et augustissimo illo tri-

bunali, praesentibus angelis et hominibus, testificabuntur, quemadmodum verba illa explicat laudatus CALIXTVS l. cit. p. 89.

§. LXXVII. Magni profecto longeque amplissimi hi sunt honores, quos Deus fidelibus promiscue omnibus, cum in hac vita, tum post hanc vitam confert. Ad vlteriorem autem rei, gloriae videlicet et gaudii piorum, ignominiae vero et doloris impiorum declarationem faciunt verba Sapientis CAP. V, 1-6. quae subiungo: *Tunc stabit confidentia magna iustus in conspectu eorum, qui adflixerunt ipsum, et qui abiecerunt labores ipsius. Videntes* (hoc impii) *turbabuntur timore graui et stupefient propter salutem inopinatam eorum; dicentque apud se ipsos poenitentes, dicent* (inquam) *gementes propter angustiam spiritus: Hic erat, quem habebamus quondam ludibrio et communi probro. Stulti vitam eius aestimabamus vt furorem, et finem eius ignominiosum. Quomodo relatus est in filios Dei, et inter sanctos* (est) *sors illius?* Arrigite aures impii et attendite ad tam miram metamorphosin tamque inexspectatam rerum catastrophen in consummatione saeculi futuram! Vos, quos omnes in hac vita adorauerunt, nunc omni honore priuabimini; sed pii, quos hic deposuistis, spreuistis, et quantum in vobis erat, in nihilum redegistis, honore tum cumulabuntur. Vos, qui in hac vita fuistis animalcula gloriae cupidissima, nunc stabitis inglorii; sed pii, quos pro reiectamentis habuistis, quibus nihil esse possit abiectius aut conculcatius, capita tum erigent glorioſi. Vos, qui in hac vita sedes primas vbique tenuistis, nunc ad sinistram collocabimini; sed pii, quos alto spre-

ſpreuiſtis ſupercilio et tanquam obſcuriſſimos homines ad infima ſubſellia relegaſtis, dextram tum iudicis occupabunt. Vos, qui in hac vita dominati fuiſtis aliis, nunc abiectiſſimi ſerui et perpetua Satanae mancipia eritis; ſed pii, qui vobis miniſtrare et ſeruiles praeſtare operas debuerunt, tum domini erunt et reges, nemini amplius ſubiecti, nulliusque nomen ferentes. Laetamini ergo et exſultate iuſti, et cantate, qui recto corde eſtis!

§. LXXVIII. In altera eaque aeterna vita gloria fidelium mirifice creſcet et in immenſum augebitur, ita vt nihil eidem addi poſſit amplius. Glorioſum erit, quod non amplius ἐκ μέρους Deum cognoſcent, neque δι ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, ſed *a facie ad faciem* eum videbunt; 1. COR. XIII, 12. immo *ſicuti eſt*. 1. IOH. III, 2. Glorioſum erit, quod Chriſtum redemtorem ſuum oculis corporis conſpicient, IOB. XIX, 25. 26. Glorioſum erit, quod Deum non tantum, qua eſſentiam atque perſonas, attributa item et perfectiones, ſed etiam qua opera adcurate, pro modo tamen et indole humanae naturae, cognoſcent, adeoque et res plurimas extra Deum, eas praecipue, quae ad conſummatam omnibus numeris beatitudinem aliquid conferent, et vnde vberius laudes Deo celebrandi, eiusque amplificandi gloriam enaſci poteſt argumentum. Glorioſum erit, quod ſumma effloreſcent ſapientia, ex perfecta intellectus cognitione et ſumma voluntatis ſanctitate reſultante. Hinc et eminentiſſimo perfectiſſimoque modo ibi conſpicient, quo pacto Chriſtus nobis a Deo factus ſit *ſapientia* 1. COR. 1, 30.

Glorioſum erit, quod ἀναμάρτητοι ſint futuri et ab omni tentatione liberi, ceſſantibus ſatanae inſidiis, remotis mundi ſeductionibus, eradicatisque prauis carnis motibus. Vbi enim perfectiſſima Dei cognitio, ibi etiam intenſiſſimus eius conſtantiſſimusque amor, procul omni labe et imperfectione. Glorioſum erit, quod in arctiſſima et nunquam diuellenda communione cum Deo viuent, quodque plena et omnimoda imaginis diuinae, ad quam conditi olim fuerunt, inſtauratio ſequetur. *Similes* enim *Deo erunt*, pro naturae tamen humanae conditione, hinc et eminentiori quadam ratione participes τῆς θείας φύσεως II. PETR. I, 4. Glorioſum erit, quod cum Abrahamo, Iſaaco et Iacobo adcumbent in regno caelorum MATTH. VIII, 11. Glorioſum erit, quod ipſe agnus, qui eſt in medio throno, eos paſcet, et viae dux erit ipſis ad viuos fontes aquarum, et Deus abſterget omnes lacrymas ab oculis eorum APOC. VII, 17. Glorioſum erit, quod regum inſtar ſtabunt ante thronum et in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, habentes impoſitas capitibus ſuis coronas aureas et palmas in manibus ſuis, APOC. IV, 4. VII, 9. Et ne quid gloriae fidelium deſit, corpora quoque ipſorum corpori Chriſti, maxima gloria et claritate ſplendenti, ſimilia erunt, PHIL. III, 21. Corpora enim ſortientur ſpiritualia, non quod in ſpiritus ſint conuertenda, ita enim non amplius eſſent corpora, ſed omnis non tantum imperfectionis expertia, verum etiam ſubtilia maxime atque agilia, vt motu celerrimo ab vno loco in alium transferri queant, nullis praeterea morbis ac mutationibus, nullis doloribus, multo minus morti aut deſtructioni obnoxia; ingenti denique

denique claritate seu splendore fulgentia. Conf. 1. COR. XV, 44. et quae ad locum illum praeclare commentatus est ven. IO. FRANC. BVDDEVS institut. theol. dogmat. lib. II. cap. III. §. IX. in nota eidem adiecta p. 621. sq. Hoc decus est omnibus iis, quos benigne accipit Dominus! PSALM. CXLIX, 9.

§. LXXIX. Vel nobis non monentibus hinc intelligitur, tantum honorem tantamque gloriam, quanta fidelibus in hoc et futuro saeculo contingit, nemini in acceptis ferri posse quam Deo, et huic quidem soli. Hinc et in oraculo nostro παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ proficiscI dicitur. Bene monet doctissimus LAMPIVS l. c. p. 133. nomen adiectiuum μόνος duplici modo hic sumi posse, vel in relatione *ad Deum*, vel in relatione *ad honorem*. In priori sensu si capiatur, tum quidem innui *honorem*, qui ab illo est, qui in emphasi *solus* siue *vnicus* Deus est, aliumque penes se non agnoscit. Ea ratione vocabulum μόνος occurrit. IOH. XVII, 3. *Haec autem est illa aeterna vita, vt cognoscant te, illum* (μόνον) *solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Itaque sensus verborum hic foret: Vos Iudaei non quaeritis honorem illum, qui ab eo proficiscitur, qui solus est Deus, et non specifice tantum, sed et numerice vnus est. Iam equidem verissimum est, ad attributa Dei vnitatem quoque pertinere, cum nihil aliud in hocce vniuerso, cui nomen Dei tribui queat, reperiatur. Conf. DEVTER. VI, 4. ES. XLIV, 6. I. COR. VIII, 6. EPHES. IV, 6. I. TIM. II, 5. Verissimum porro est, quod subdit LAMPIVS, vocabulum μόνος, si referatur ad Deum, facere ad exaggerationem honoris, quod ab eo deriuetur, cui summa

ma competit *vnitas* et *solipsia*, adeoque illa perfectio et omnisufficientia, quae requiritur ad veram solidamque excellentiam creaturae rationali praestandam. Quoniam vero Iudaei vnitatem diuinam non negabant, vtpote probe conscii, eum, qui plures vno Deo statuit, reuera perinde agere, ac si nullum admittat, hinc non putamus, eam acceptionem hic locum inuenire. In posteriori sensu si τὸ μόνος sumatur, tum originem et fontem indicari, vnde honor ille deriuetur vnice, vt sensus sit: Vos Iudaei negligitis honorem eum, qui *solum* et *non nisi a* Deo est. Atque posteriorem huncce sensum huic loco magis conuenientiorem esse, haud abs re censet LAMPIVS. *Inuoluit* enim 1) *quod nemo hunc honorem dare possit, nisi Deus, vnde Sapientia Dei.* PROV. VIII, 18. *contestatur:* Diuitiae et honores penes me sunt. *Neque etiam aliter potest esse, quia id, quod fideles proprie splendore summo ornat, est adquisita per Iehouam iustitia, qua qui donati sunt, non in carne, sed in solo Iehoua gloriantur.* IES. XLV, 25. IEREM. IV, 2. CAP. IX, 23. 24. I. COR. I, 31. II. COR. X, 17. *et inde fluens ipsa cum Deo communio.* Tempore illo erit Iehoua exercituum pro corona decoris et pro diademate ornatus reliquo populo suo IES. XXIIX, 5. Conf. IES. IV, 2. I. PETR. II, 7. *Atque ita participant ex illo honore, quem Deus filio suo dedit, cuius cohaeredes et* συνθρονοὶ *sunt.* *Hinc* 2) *fluit, quod mundus sicut sua existimatione nihil ad hunc honorem addere, sic etiam nihil omni contemtu suo ex eo diminuere queat, praecipue cum Deus*, quae ignobilia sunt in mundo, et pro nihilo habita, elegerit, I. COR. I, 28. IAC. I, 9. *Nec non* 3) *quod honor* apud Deum *immensis parasangis exsuperet omnem gloriam mundanam, quia solidum fundamentum habet,*

bet, et omni honore mundi instar graminis flaccescente ac cum mundo pereunte solus constans et immutabilis est I. PETR. V, 5. *Vnde* 4) *illis, qui hunc honorem sectantur, omnis honor, quem mundus praestat, est abnegandus, exemplo Mosis* HEBR. XI, 24. 26. *et Pauli* II. COR. VI, 8. Rectissime cum haec omnia dicta sint, vt nihil habeamus, quod moneamus, merito in iisdem acquiescimus, id tantum addentes, vtramque explicationem, et illam priorem, et hanc posteriorem fortassis non male coniungi, propterea, quod altera alteri non aduersetur, neutra etiam aliquid affirmet, quod analogiae fidei sit contrarium. Consentiunt HVNNIVS, SCHMIDTIVS, aliique.

§. LXXX. Hic ipse honor summo iure ab omnibus quaeritur, qui ex verbo Dei reuelato in lumine Spiritus sancti didicerunt, quantus sit ille, quantaque commoda et emolumenta secum vehat. Paullo ante mentio facta est Mosis, cuius exemplum prorsus est illustre. A parentibus ille suis in arcula papyracea bitumine obducta ad Nilum expositus, sed a Pharaonis filia repertus, nutritus et educatus est, ipsique filii loco fuit, EXOD. II, 5-10. Add. IOSEPHVS antiqq. Iud. lib. II. cap. V. Negauit autem Moses aulam regiam, filiam Pharaonis, diuitias, omnesque vitae delicias, quum ad iustam peruenisset aetatem, deseruitque non puer, non iuuenili leuitate et imprudentia, nec in senio decrepito, altera quasi infantia, sed ista aetate, qua mens et corpus pleno fruuntur robore, et qua maximo consilio et prudentia homo agere solet. Neque hoc verbis solum fecit, sed ipso etiam facto, dum aulam omnemque aulae gloriam

riam deseruit, et cum populo Israelitico omnibus malis ac persecutionibus exponi maluit, quam dici filius filiae Pharaonis. Remansisset sine dubio in aula Pharaonis si id bona conscientia fieri potuisset. At res ipsi fuit cum crudelissimo tyranno, cui maius nullum gaudium, quam Israelitarum interitus. Hoc autem *fruitionem peccati* nominat, cum omnibus bonis istis frui non potuerit, nisi grauissimo cum peccato. Spretis ergo ampliſſimis Aegypti thesauris, potentia, gloria, etc. ad Israelitas, populum Dei, se contulit, ὀνειδισμὸν, contemtum, ignominiam, omniaque mala, quae Christus tulit ipsius Mosis tempore, in gente Israelitica, et quorum ipse fuit testis, immo particeps in sua familia, praeferens delicis diuitiisque mundanis. Nec immerito: mente enim fixa et spe firma respiciebat ad remunerationem in vita aeterna futuram, non quod crediderit, se per vllum opus quidquam potuisse apud Deum mereri, sed quod firma fide amplexus sit bona gratiae a Deo promissa his, qui creatorem creaturae, caelestia terrestribus, aeterna perituris anteponunt.

§. LXXXI. Non ignorare poterant Iudaei et inprimis Pharisaei ac legis periti facinus tam heroicum a Mose perpetratum, scrutabantur enim Scripturas, sedebant in cathedra Mosis, deque sua in sacris notitia valde gloriabantur. Sic etiam venerabile apud ipsos erat nomen Mosis, tamquam summi legis in ecclesia doctoris, totiusque chori prophetici ducis et praeceptoris, immo fontis et oceani vniuersae theologiae, ex quo omnes caeterorum vatum diuinorum conciones et libri emanarunt. Huius igitur vestigiis insistere,

insistere, hunc pie imitari, ad huius denique exemplum se totos componere debuissent, siquidem genuini eius discipuli videri voluissent, *per gloriam et ignominiam, per famam bonam et infamiam, per seductionem et veritatem, per mortem et vitam, per castigationem et mortificationem, per tristitiam et gaudium, tanquam egentes et multos locupletantes, tanquam nihil habentes et omnia possidentes*, quod Paulum, ex Pharisaeis vnum, post sui ad Deum conuersionem fecisse, ex II. COR. VI, 8. 9. 10. constat. Tantum vero aberat, vt in Mosen intuerentur eiusque exemplum sequerentur perditissimi homines, vt potius honorem illum παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ, plus simplici vice ab optimo Seruatore, verbis admodum emphaticis, in euangelio, quod praesentibus et audientibus omnibus praedicauerat, sibi oblatum turpissime negligerent, riderent et contemtui publico exponerent, quodque omnem impietatem supergreditur, eos, quibus hic honor curae cordique erat, quique modis omnibus eum quaerebant, immanissime persequerentur, pro moris et stultis haberent, et quantum in ipsis erat, e medio tollerent ac internecioni darent.

§. LXXXII. Accedebant peculiares rationes, quae ea quidem tempestate Iudaeos mouere poterant ac debebant, vt insuper habito honore, qui est ab hominibus, de eo, qui solum Deum agnoscit auctorem, solliciti essent vnice. Videlicet in politia Iudaica iam omnia in deterius labi coeperant. Sceptrum a Iuda, a quo terrae, genti, reipublicae et regno nomen, nouissime translatum erat in Herodem Idumaeum, hoc

ſenſu alienigenam, hinc ad Romanos, atque adeo etiam ſuprema legislatura, Iacobo vate GEN. XLIX, 10. Synedrium magnum ſi non penitus abrogatum, ſaltem per Herodem a familia Dauidica ad alios inferiores translatum fuit, vt, licet in quibusdam vmbram iudiciorum retinuerint, de nullius tamen vita ob quodcunque crimen ſtatuere, non certe ſententiam ex lege latam exſequi potuerint absque conſenſu Romanorum Praeſidum, IOH. XVIII, 31. Nec laetior eccleſiae Iudaicae facies tum adparuit. Idem enim Herodes ſacros Iudaeorum ritus cum profanis miſcuit, aquilam auream ingentis magnitudinis ſupra maiorem templi portam, contra legem ipſorum, ſuſpendi iuſſit, pontifices antea perpetuos pro libidine ſubmouit, obſcuros homines ſummos pontifices creauit, aliaque plura peregit ad violationem ſacrorum quam maxime pertinentia. Inſtabat praeterea totius ſacerdotii legisque caeremonialis plenaria abrogatio cum deletione templi ipſiusque vrbis ſanctae excidio coniungenda, poſtquam adparuerat is, quem typica iſta praefigurabant. In his vero nimium quantum ſibi hactenus placuerant Iudaei. Haec crepauerant vbique. In his denique externis omnes praerogatiuas ſuas, quas habebant, collocauerant, per ea, quae ſupra hanc in rem ſunt tradita.

§. LXXXIII. Quamuis igitur Iudaei, interque eos inprimis Phariſaei plurimas easque longe grauiſſimas habuerint cauſſas, propter quas, damnato κενοδοξίας ſtudio, ſolam, quae eſt a Deo, gloriam quaererent, nihil minus tamen quam hoc faciebant, ſed in alia potius omnia ibant. Id indicant vlti-

ma

ma oraculi noſtri verba, quibus dicitur: *gloriam autem, quae a ſolo Deo eſt,* οὐ ζητεῖτε *non quaeritis.* Ex ſacris conſtat, non eſſe in viribus naturae noſtrae poſitum δόξαν παρὰ τοῦ Θεοῦ nobis comparare, quoniam in rebus ſpiritualibus nullae ſunt omnino. Quare Deus certum conſtituit ordinem, quem obſeruare tenentur omnes, qui gloriae illius compotes fieri cupiunt. Hunc ordinem Seruator optimus paucis verbis complexus eſt MARC. I, 15. μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ *poenitentiam agite et credite in euangelium.* Additur MATTH. III, 8. ποιήσατε καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας *facite dignos poenitentia fructus.* Quicunque igitur δόξαν παρὰ τοῦ Θεοῦ ſerio adfectat, is vi ordinis illius ante omnia agnoſcere debet, ſe gloria illa eſſe deſtitutum. Niſi haec agnitio praeceſſerit, nullam eius in te ſenties cupidinem, deſiderium nullum. Quodſi enim quis ſibi perſuadeat, ſe bonum aliquod iam poſſidere, quaeſo! qui illud deſideraret? Obiectum deſiderii eſt bonum abſens, non praeſens. Deinde quando defectum gloriae Dei apud ſe agnouit, deſiderium in animo oriri debet eam quantocyus per Chriſtum recuperandi. Quod deſiderium prima fidei ſcintilla eſt, quae deinceps ſub ſedula et deuota euangelii lectione et meditatione pedetentim ita creſcit et augetur, vt firma tandem fides exinde naſcatur, qua Chriſtum cum omni ſuo merito amplectimur, gloriaeque diuinae per ipſum reſtitutae vere participes reddimur, Spiritu ſancto internum nobis teſtimonium perhibente, quod non ſolum filii et haeredes Dei exiſtamus, ſed et cohaeredes Ieſu Chriſti in vita altera futuri ſimus. Tandem cum theſaurum illum, qui denuo noſter

ſter factus eſt, in vaſis fictilibus portemus, precibus et vigilantia opus eſt, et vt ἀκριβῶς ambulemus, tanquam in conſpectu Dei, ne per peccata proaeretica rurſum amittamus, eumque per fraudes et technas hoſtium ſpiritualium eripi nobis patiamur. At enimuero hunc ordinem Phariſaei nolebant ingredi, ſed eum reſpuebant, deteſtabantur ac calumniabantur, et vt idem ſecum facerent alii, auctores ſuaſoresque erant. Quo nomine merito increpantur a Chriſto MATTH. XXIII, 13. οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. ὑμεῖς γὰρ οὐκ εἰσέρχεσθε, οὐδὲ τοὺς εἰσερχομένους ἀφίετε εἰσελθεῖν. *Sed vae vobis ſcribae et Phariſaei hypocritae, quoniam praecluditis regnum caelorum hominibus; vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis introire.* Sed lapidi loquebatur magiſter optimus, nec quidquam apud ipſos proficiebat, nam animos ſuos obfirmauerant, omnisque admonitionis et increpationis erant impatientiſſimi, tanquam homines, qui ſapientiam ſecum mori ſtulte credebant.

§. LXXXIV. Reliquum eſt, vt vim argumenti a Chriſto adhibiti ad demonſtrandam Iudaeorum ſui aeui ἀπιστίαν paucis adhuc conſideremus, vt pateat, quod inuicti oppido roboris ſit, quodque citra omnem iniuriam crimen hoc ipſis obiecerit. Sic autem illud ſe habet: Quicunque 1) gloriam ab hominibus capiunt, ex aduerſo autem 2) gloriam, quae a ſolo Deo eſt, non quaerunt, illi non poſſunt credere, ſed in incredulitate ſua neceſſario perſiſtere coguntur. Atqui vos Iudaei tales eſtis. Ergo. Minoris probationem

nem iam adtulimus, eamque satis prolixe et solide, vt equidem opinamur, adhuc firmauimus. Ad maiorem igitur res redit. Haec duobus absoluitur membris, quorum vtrumque sigillatim expendi meretur. Prius membrum ita concludit: Qui gloriam hominum captant, illi ad fidem non sunt idonei. Ducitur haec argumentandi ratio a disparibus: fides enim in Christum et inanis gloriae sectatio non possunt simul consistere et in vna sede morari. Pugnat enim κενοδοξία 1) cum amore Dei siue propensione voluntatis infinita, qua Deum ceu summum bonum amplectimur, et in eo veram animi quietem quaerimus ac inuenimus. Pugnat 2) cum abnegatione sui ipsius, siue ea Spiritus sancti operatione, qua agnita philautiae naturalis summa turpitudine nihil nobis, sed omnia Deo tribuimus, nullaque in re commodum nostrum, gloriam nostram ac voluptatem nostram quaerimus, sed quae Christi, aut quae aliorum sunt; qua non nobis nec aliis hominibus placere studemus, sed Christo; qua cum carne et sanguine non consultamus, nec in rebus ad gloriam diuinam animaeque salutem spectantibus corruptae rationis consilia sequimur; qua nulla in re, si Deum excipias, toto animo adquiescimus vel innitimur; qua denique rerum ablationem patienti animo ferimus; et quae reliqua sunt eiusdem generis. Pugnat 3) cum vera animi humilitate siue iusta sui depressione non solum respectu Dei, sed etiam respectu aliorum hominum. Respectu Dei quidem, dum nobis nostrisque viribus nihil tribuimus, nosque indignos plane omnibus beneficiis diuinis reputamus. Respectu vero aliorum hominum, dum aliis neutiquam, nisi in quan-

quantum ordinis ratio postulat, praeferri cupimus, aliosque nobis praestantiores, meliores & digniores esse credimus, eosque adeo nobismetipsis praeferimus, iuxta monitum Pauli PHIL. II, 3. Licet enim humiles nos ferremus erga Deum, non tamen simul humiles essemus erga alios, nostram palam proderemus hypocrisin.

§. LXXXV. Ad hanc ipsam virtutem humilitatis, quae ex abnegatione sui oritur, eiusque primus ac potissimus effectus est, liberatorem optimum hic quam maxime respexisse, nullum, vti opinamur, est dubium. Praeterquam enim quod humilitas studio vanae gloriae priuatiue opponatur, reliquarum etiam virtutum omnium exsistit comes, vti bene notat cel. BVDDEVS in instit. theol. moral. P. I. cap. I. sect. IV. §. CV. p. 194. cum sine ea Deo nihil placeat. *Resistit* enim Deus *superbis, humilibus autem dat gratiam.* I. PETR. V, 5. add. I. PETR. III, 4. Temperantia, castitas, fortitudo, charitas et eminentissimae quaeque virtutes indignae sunt virtutum nomine, si humilitas absit. Gratissima itaque est Deo humilitas, multumque in Scripturis commendata et amplissimis ornata promissionibus. ES. LVII, 15. I. SAM. II, 3. 4. 5. LVC. I, 52. 53. MATTH. XI, 25. 26. II. COR. VII, 6. IAC. IV, 10. Sed et tota Christi doctrina post fidem et amorem nil magis inculcat quam abnegationem sui cum interna cordis humilitate coniunctam, quae tamen vultu etiam gestibus, habitu, sermone et actionibus se prodat MATTH. XI, 29. DAN. V, 22. LVC. XVIII, 13. IOB. XLII, 6. GEN. XVIII, 27. II. SAM. VI, 22. Immo vero omnes, quos Christus ad se inuitat, grauiter monet, vt suo exemplo

plo discant mites esse et humiles. Et qui Christum sequi iubentur, simul mandata accipiunt, vt crucem eius tollant, cuius pars erat ignominia, cuius inanis gloriae cupidi impatientissimi sunt. Omnis denique vita Christi, quam in his terris exegit, tam admiranda cum humilitate coniuncta fuit, vt *cum esset in forma Dei non duxerit esse rapinam, parem esse cum Deo; sed ipse sese exinaniuerit, forma serui accepta, similis hominibus factus, et habitu inuentus vt homo ipse sese submiserit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* PHIL. II, 7. 8. Haec causa erat, propter quam Iudaei et cumprimis Scribae et Pharisaei Christo credere renuebant, quod alienum a sua dignitate iudicarent, homini pauperibus, obscuris ac tenuibus parentibus orto, nullo magnatum aut principum comitatu stipato, denique nullo mundi splendore exornato sese submittere. Deinde cum intelligerent Christo ambitionem, principatum, pompam, titulosque fumosos, quos adfectabant, displicere, et ab illo damnari, seque non modo nullam honoris accessionem ex fide in Christum accepturos, sed contra si illi adhaererent, suis honoribus abiudicandos, IOH. IX, 22. CAP. XII, 42. fidem Christo detrectabant. Plebs etiam metuens, ne Christo credens, a suis principibus et doctoribus contemtui haberetur, fidem ei derogauit. Legi hanc in in rem meretur egregius liber summi quondam Lipsiensium theologi b. GOTTFR. OLEARII in lingua nobis vernacula editus, sub titulo: *Iesus der wahre Messias*, sect. II. cap. II. vbi et offendicula illa Iudaeorum curate recenset, et singula copiose ac perquam erudite remouet.

§. LXXXVI. Haec cum ita se habeant, palam est, inanis gloriae studium inter praecipua fidei impedimenta rectissime a Christo referri. Etenim cum verae ac viuae fidei ea sit natura ac indoles, vt ex ea, tanquam ex bona et foecunda arbore, et sincerus Dei amor, et libera, seria, constans ac firma sui abnegatio cum humilitate animi coniuncta, ceu primi nobilissimique fructus propullulent, immo fidei praesentis caracteres et signa sint certissima, inanis autem gloriae adfectatio cum his omnibus pugnet, per bonam et iustam consequentiam hinc elicitur, neminem ad fidem esse idoneum, inque Christum ita credere posse, vt propterea coram Deo iustificetur et salutem aeternam consequatur, nisi animum habeat defecatum et a dominio saltem huius vitii liberum atque immunem. Eo etiam haec valent, vt si quis ad Deum vere conuersus fideique in Christum particeps redditus incipiat redamare mundum, et in actionibus suis non amplius spectare honorem Dei, sed gloriam propriam, confestim gratia Dei excidat, et naufragium fidei patiatur, cum praesentissimo animae periculo, ipsiusque salutis aeternae iactura. Sunt, qui huc referunt Demam, quem Paulus in epistola ad Philemonem laudat vt συνεργὸν suum v. 24. et Colossenses ipsius nomine salutat COL. IV, 14. Sed II. TIM. IV, 10. eum reprehendit, quia, pertaesus vinculorum Pauli, deseruit ipsum et relicta Roma aliorsum, in locum tutiorem, concessit, quoniam vitae suae metuebat, *hoc* enim, interprete FRID. b. BALDVINO in comment. ad h. l. *est diligere saeculum, propter periculum, cui expositi sunt confessores, negligere veritatem.*

§. LXXXVII.

§. LXXXVII. Posterius tandem membrum ita concludit: Qui honorem, qui a solo Deo est, non quaerunt, illi non possunt credere. Huius conclusionis gemina reddi potest ratio. Vtraque valde ardua est et stringens. Quid enim aliud exspectes ab eo, *in quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae ac notitiae*, COL. II, 3.? Prima huc redit. Fundamentum, vel si mauis, causa, quae Deum mouet ac impellit, vt nos honoret et honorare possit, est iustificatio nostra, consistens in absolutione seu remissione, vel non imputatione peccatorum, ROM. IV, 6. 7. 8. Quae remissio alias etiam remissio debitorum vocatur, MATTH. VI, 12. Peccata enim recte debitorum nomine veniunt. Cuius fundamentum imputatio iustitiae Christi actiuae et passiuae merito censetur. Ideo enim Deus hominem peccatorem innocentem et iustum declarat, quia Christus eius loco omnia praestitit, quae iustitia diuina ab illo exigere poterat. Vt autem iustitia Christi nobis imputari possit, ex parte nostra fides adsit, necesse est, qua eam adprehendimus et veluti nostram facimus. Dum enim homo peccator, sed regenitus meritum Christi adprehendit, eiusque iustitiam per fidem sibi vindicat, Deus hoc adprobat, iustitiamque et obedientiam Christi, non aliter, ac si ipsius hominis esset, considerat, quae est imputatio ista, de qua loquimur. Iam autem Iudaei et cumprimis Pharisaei ac Scribae Christum pro Messia non agnoscebant, sed pro nudo homine, immo pro seductore populi, pro Samaritano, daemonium habente et daemonia per Beel Zebub, principem daemonum, eiiciente reputabant, tandemque cruci suffigebant.


gebant. Qui ergo potuissent in Christum credere, eiusque iustitiam per fidem suam facere, et sic coram Deo iustificari et saluari? Propriam potius iustitiam erigebant, docentes, hominem naturalibus viribus posse satisfacere legi Dei, addentes praeterea, loqui eam tantum de externa disciplina, et hanc esse rem illam, qua mereantur homines remissionem peccatorum et vitam aeternam, quaeque sit iustitia coram Deo. Pestilentissimus hic erat error, saluti omnino noxius per expressa Christi verba MATTH. V, 20. *Nisi abundauerit iustitia vestra amplius quam legisperitorum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.*

§. LXXXVIII. Posterior autem ratio est, quia qui veram summamque gloriam, qua maior nec excogitari, nec fando enunciari potest, non expetit, eiusque ardentissimo tenetur desiderio, eo ipso haud obscure significat, se terrae filium esse, et vel exiguam, vel plane nullam rerum caelestium aeternaeque salutis curam habere. Qui autem salutis suae incurius est, is neque fidem in Christum curabit, et vt eius, in ordine poenitentiae, particeps fiat, multum laborabit. Regula est in scholis Philosophorum decantatissima: Quicunque vult finem rei alicuius serio, is etiam vult media legitima, ad finem obtinendum necessaria; quoniam sine recto eorum vsu finis praefinitus obtineri nequit. Atqui Pharisaei et Scribae cumque illis maior Iudaicae gentis pars gloriam, quae a solo Deo est, quaeque eam comitatur et insequitur, beatitudinem ac felicitatem aeternam non quaerebant, sed respuebant, et alto supercilio spernebant. Non poterant ergo de fide in Christum solliciti esse, vtpote per quam solam ex miseria

teria, qua circumsepti sumus, eluctamur, aeternamque salutem consequimur. MARC. XVI, 16. IOH. I, 12. III, 15. 16. 17. ACTOR. IV, 12. XIII, 38. 39. XV, 11. ROM. III, 23. 24. sq. etc.

§. LXXXIX. Discimus ex hac tractatione quam grande malum sit κενοδοξία, quantumque periculum immineat his, qui pestifera hac lue sunt infecti. Impedit enim, quo minus in Christum credant, gloriaeque diuinae in hoc et futuro saeculo compotes fiant. Nihilominus tantopere illud inualuit, vt nulla fere aetas, nullus sexus, nullus denique status ab eodem sit immunis. Morbum hinc epidemicum dixeris longe lateque grassantem et sacri etiam ordinis homines corripientem, non absque insigni ecclesiae damno et bonorum offendiculo. Augetur malum ex eo, quod pauciſſimi turpitudinem eius agnoscere aut inter vitia referre, sed, mira metamorphosi, in nescio quam virtutem transformare studeant, asperique sint monitoribus, id omni studio agentibus, vt eos inde abstrahant et ad saniorem mentem perducant, nec sibimetipsis desint. Nostrum est, accuratam instituere δοκιμασίαν et nosmetipsos probe explorare, vtrum inimicum et hostem hunc tam acrem tamque pernicioſum deuicerimus, impetusque eius validiores virtute diuina repressérimus, an vero is adhuc in nobis dominetur, et vim suam pro lubitu exerceat? Si hoc: ordo poenitentiae et fidei ingrediendus, vt in regeneratione vires spirituales ac sufficientes a Spiritu sancto adipiscamur, quarum beneficio non debellare solum, sed prosternere etiam et victoriam ab eo reportare queamus. Non extimescenda est eius potentia, sed summendus animus: quo maior enim pugnandi cupido, eo

eo certior est victoria. Si vero illud: humillimae Deo persoluendae sunt gratiae, quod ab hoc malo nos liberauerit, praesentissimoque animae periculo eripuerit. Enimuero precibus et vigilantia opus est, ne in pristinam seruitutem redigamur, sed partam semel libertatem tueamur ac defendamus. Absit a nobis omnis vana gloriatio! Quidquid cogitamus, quidquid loquimur, quidquid denique suscipimus ac facimus, id omne dirigamus ad solius Dei gloriam, regnique Christi amplificationem. Humilitas sit vestis, qua virtutes nostras tegimus. Habenti datur, vt superabundet. Magna est Dei gratia erga vere humilem, quam subinde maior excipit, et cumulat. Demissum cor est vas gratiae, quod charismata pure et intemerate conseruat, eademque in supremi Numinis honorem integra reddit: est instar scalae, in qua per certos gradus descendit χάρις Dei gratia, ascendit εὐχαριστια *gratiarum actio.* Nunquam non memores simus aurei illius moniti, quod Petrus apostolus nobis reliquit. 1. EP. V, 6. *Humiliemur ergo sub potenti Dei manu* (submittamus nos diuinae prouidentiae, regimini ac praesidio, quod vti superbis est terrori atque exitio, sic humilibus est solatio atque propugnaculo, vtrimque se potentissime exserens *vt nos extollat* (humiliationi enim respondet exaltatio nimirum spirituali, spiritualis. Neque vlli christiana datur ad caelestia aditus, nisi, per viam ταπεινώσεως,) *tempore opportuno!* (postquam totius corporis mystici et singulorum eius membrorum παθήματα fuerint exantlata! Ea enim est christiana animi elatio, quando is hic, sub depressione et cruce, ad futurae ὑψώσεως spem erigitur.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870239619/phys_0138
DFG

ei sermonis testantur, Spiritus qvidem id tempo-
deret in eum specie columbæ, aqva verò & san-
re illius profluerent. Nam qvod hæc de ipsius
erint, id ipsum qviddam erat, qvod naturam
deret. Cui adstipulatur Algerus lib. I. de
om. 6. Bibl. Patr. p. 499. *Qvia mirum fuit*
lo secundùm promissionem Christi Spiritum S. ac-
uum more viventis non saniem sed sangvinem
m vivorum & mortuorum cum sangvine aqvam
ris fundere, qvod tamen sicut miraculum sic
mysterium. Dionys. Carthus. 4. Sent. dist.
). *Origo Sacramentorum est Passio Christi, de*
amenta fluxerunt.
si Pontificii fatentur duo Sacramenta Eccle-
umbrata esse, sed addunt *præcipua*, Jans. in
3. *Hoc duplici fluxu designata sunt duo præci-*
amenta. Maldon. in Matth. 27. *Per sangvi-*
qvâ alimur, per aqvam Baptismus, qvo na-
ipua salutis nostræ Sacramenta significantur.
ron. T. 10. tract. 48. *Emisit sangvinem &*
duorum Sacramentorum, Baptismi, in qvo
Eucharistiæ, in sangvine potamur. Ita etiam
pondet Bellarminus l. add. *Locus*, inqvit,
malè ita exponi potest, ut significentur per san-
Eucharistia & Baptismus, ut exponunt ferè
d non propterea excluduntur cætera Sacra-
im duo posita sunt, qvia sunt magis commu-
cipalia, & ex illis poterat idem judicium

hoc verò respondemus, (1.) duobus sal-
& Eucharistiæ) veram definitionem Sa-
tere, qvod ex inductione patet. Qvinqve
enim